NICOLAI
OCHIBOVII
J. U. AC SAC. THEOL. PROFESS.
Canonici Insignis Collegiatae Ecclesiae
SS. ANNUNCIATAE Pedemon.
tii prope Allifas, Abbatis
S. Petri de Folliscio.

DE CANONE STUDIORUM DISSERTATIO.




BIBLIOTECA NAZIONALE VN. III. MIA.

NEAPOLI,
Ex nova Typographia Angeli Vocolae ad Medinum Fontem M. DCC. XXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



Digitized by Google

EXCELLENTISS. DOMINO

NICOLAO CAJETANO

AQUILAE-ARAGONIAE:

Cajetanae Familiae Domino, Laurentianae Duci VI., Pedemontanorum Principi ex CAROLI VI. Caesaris beneficio appellato, ut eodem temporis potiori jure, quo secundi erant in eo Neapolitanorum Procerum Ordine, qui ex ejus Gente olim Altamuranorum Principes, censeretur.

NICOLAUS OCHIBOVIUS

P. F.



PUSCULO huic, quod jam manu exaravi pro ingenua, ac studiosa litera-

Digitized by Google

rum Juventute, quodque auctoritate Excellentiae Tuae, atque assiduis praestantium doctrinâ Virorum precibus, publici juris facere decrevi, immortale quippe Nomen Tuum, praestantissime Princeps, haut inscriberem, nisi quae ab ipsa Natura cordibus nostris insita lex est, *Jus suum cuique tribuendi*, praeciperet. Et sane cuinam, nisi Tibi id juris debetur, qui regio nobilissimi sanguinis splendori, ita micacissimum omnis sapientiae lumen sociasti, ut non injuriâ dixerim, quod Tibi:

..... omnis doctior Orbis
Submissis defert fascibus imperium?

pro-

propterea immortale Nomen Tuum hîc merito inſcribendum cenſui, cujus ſcilicet vel ipſe adſpectus nobilibus Adoleſcentulis, morum cenſura eſt, & maximum ad literarum ſtudia incitamentum, utpote cui illud rariſſimum aeque, ac feliciſſimum amuſsim congruit: *videri, & prodeſſe*. Acceſſit his Tua erga me humanitas, & benevolentia, egregio Tuo animo digniſſima, quibus dum me, ut optimo Principi par erat a caninae invidiae morſibus illaeſum praeſtitiſti, adeo totum Tibi uni arctiſſime devinxiſti, ut Tibi & vitam, & incolumitatem meam ſubjecerim, ereptam

Digitized by Google

a malignis, & contagiosis halitibus, qui nonnisi ab id genus hominibus disseminantur, qui alienis meritis exulcerati, poenas dant injuriarum, antequam laeserint. Hinc est, quod cum Te huic Operi praepono, quid nisi humanissimum Principem, mirandum exemplar virtutum omnium, ac literarum, quod summâ alacritate imitentur, nobilibus Adolescentibus exhibeo? Hi enim hoc experimento ex Te discent, qui vel a primis, ac melioribus annis, ita gemmeâ sapientiae fibulâ nobilitatem concludere studuisti, ut nihil pulchrius, atque optabilius. Et sane quantam adhibui-

sti

sti in addiscendo industriam, quantam praetulisti ingenii Tui indolem, ac morum probitatem, testati sunt olim viri de Literaria Republica optime meriti Thomas Cornelius, & Leonardus a Capua, e quorum fonte, primis, ac purioribus naturalis philosophiae, & cujusvis literaturae laticibus imbutus, in Naturae mysteriis rimandis, adeo feliciter profecisti, ut memorare vix, aut ne vix quidem, quis possit. Sed maturâ aetate jam doctior, in nuda, sterilique contemplatione rerum, non conquiescens, utpote in qua haut praeclare tempus consumi solet, Socratis du-

Digitized by Google

ctus exemplo, ad ſolidiorem philoſophiam, virtutis indagatricem, vitiorumque expultricem, quam Cicero ſcite admodum in officiorum libris, ſtudium Sapientiae vocat, viribus totis, animum appellendum judicaſti. Nil igitur mirum, ſi in Te omnis demiretur Orbis haec duo, & quod ita teneas quidquid fere utile, & praeclarum in ſtudiis, & ſcientiis occurrit, ac ſi omne vitae ſpatium in ſolis Tibi defluxerit literis; & quod eam calleas prudentiam, cujus nedum animi Tui, ſed & aliorum pathematum monſtra, quorum radix primi Parentis peccatum, ut beata,

hoc

Digitized by Google

hoc eſt honeſta; & Deo accepta vita ducatur, domari vi poſſint, ſummopere ſtudes, ac ſatagis. Equidem (ut nihil dicam de eruditiſſimis illis, doctiſque in ceteros Alighierii cantus adnotationibus, quas Johannes Bocacius non adnotavit, quasve in lucem edi exoptamus) quo oculos intendis in ea Tragoedia per Te jam manu exarata, quae Sophocleo cothurno digna cenſetur, quod in ea, Etruſcâ linguâ, non quidem levem Graecorum umbram, ſed illam dicendi venerem ſolis Atticis datam, es conſecutus; niſi quod illuſtrium virorum per agentes perſonas exprimens

ca-

calamitates, miſericordiâ, & terrore animos ab iis perturbationibus liberes, a quibus ea tragica facinora proficiſcuntur? Ex hiſce igitur, atque ab egregio illo opere, quod vel per Te elaboratur, circa eam philoſophiae partem, quae de humani animi ingenio, ejuſque paſſionibus moderandis, ſive de earundem uſu ad vitam civilem Principi rectè tranſigendam, praecepta ſaniora conſignat, ediſcere habent & Nepotes Tui, & ceteri nobiliſſimi Adoleſcentes, robuſtae literaturae, ac maſculae Heroicae virtutis imaginem, e quibus veluti manu jactis quibuſdam faculis, eorundem

Digitized by Google

rundem animi ad illius cultum feliciter inflammentur. Mirum, quos pectori Tuo igniculos admoverunt Majorum Tuorum imagines, quae Tibi vel a lacte recenti, quocumque oculos conjicienti occurrebant; quarum sane Prototypa, quantâ sapientiâ praeluxerint, ostendunt fasces, laureae, purpurae, tergeminae tiarae, jam & olim certissima meritorum signa, & validissima nunc generosae indolis ad maxima inhiantis, incitamenta. Non enim ignari sumus, nec latet quemquam, Te ab ea ortum ducere Prosapia, quae ab Aniciis fascibus, e quibus originem

pri-

primam certo repetit ſuam; & inde ab eximio illo, atque vetuſtiſſimo Cajetae Heroë JOHANNE II. invictiſſimo exercituum Duce, qui adverſus Capuae Principes bella gerens, evocatis ſibi in ſubſidium a Lucania Saracenis, tandem ad flumen Lyrim Hoſtes adgreſſus, iiſque pulſis, inſignem, & ſibi, & ſuis peperit gloriam; ad noſtra haec uſque tempora, longe plures progeniti ſunt Heroës, religione, pietate, literis, & armis praeſtantes, quam & Tiphys cum Argolica navi evexit ad Colchos, & ex Equo Trojano exiêre milites. Quanta enim pietate Majores Tui

Rem

Rem Christianam propagaverint, testantur Altaria, Templa Neapoli, Urbi, & Orbi, proprio aere fundata; necnon & susceptа bella adversus Turcas, Romanique nominis hostes. Sed prae ceteris, merito suo censetur Gerardus, gentilis Papae Gelasii, qui captâ Majoricae Insulâ, interfectoque Saracenorum Rege Kachio, una cum Johanne, & Ugone germanis fratribus, propriis sumtibus, datis velis Hierosolymam versus, maximo Idumaeis exitio fuêre; quod Castilioneus hisce versibus expressit:

Vos ergo praeterea aeternae notissima famae

No-

Nomina : Johannes, Ugo,
Gerarde, Syrorum
Imbelles turmae veſtris ecidêre ſub armis,
Cara ſacrum aſſeruit pietas armata ſepulcrum,
Sanctaque Idumaeas retulit victoria palmas.

Idem adverſus Caracoſsam pyratam famâ notiſſimum, ingentemque Turcarum claſſem praeſtitiſſe conſtat Honoratum Bonifacii Camilli filium, ſub Gregorio XIII. Romano Pontifice, & feliciſſimis auſpiciis Sereniſſimi Johannis Auſtriaci, totius celeberrimi navalis belli pro Romana Eccleſia Ducem; is enim, ut hiſtoriae referantur, validorum

rum hoſtium impetus, miro prorſus modo, ac penitus repreſsit, cum ab ejus tergo in adverſarios vehemens ventus fureret, non ſolum quaecumque in eos jaciebantur, concitatiſsime raperet, verum etiam eorum tela in ipſorum corpora retorquêret, ut non dubie Summi Numinis virtuti pietate Honorati, qui ingenti Romanae Fidei dilatandae ſtudio ardebat, votis propitii accepto ferre debeamus; atque de eo Poëta ceciniſſe videatur, cum ait:

O nimium dilecte Deo, cui
fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui
militat Aether,

Et

Et conjurati veniunt ad classica venti.

Quin vero Religionis ergo Cajetanis cum Sardis, Sighismundis, aliisque, ductis, insulam Sardiniam de potenti manu Moseti Africae Regis liberantibus, ipse Rex Pisas captivus ducitur, & Cajetanis Comitatus Orisetí premio cessit. Quanta pietate, vel ut Romanae Ecclesiae, vel Patriae jura, iidem Majores Tui tuerentur; vel ad sublevandos a calamitatibus pauperes, praefulserint, testantur eorundem egregia facta, quae cum cuique sint obvia, praestaret silêre, nisi ad aeternae memoriae monimentum

unum,

Digitized by Google

unum, & alterum, operae pretium afferre duceremus, Nicolai ſcilicet Capuanae Eccleſiae Archiepiſcopi, & Henrici Patriarchae Alexandriae, quorum ſane dum mihi in mentem venit imago, tanta erga eos afficior amoris teneritudine, ut pene rapi videar; ille enim duodennis, ſed generoſae indolis, ac ſenilis prudentiae, a Paulo III. Farneſio ſobrino ſuo in Cardinalium Collegium cooptatus, quanto inde ſplendore in ea dignitate ceteris praeluxerit, vel ex eo conjici poteſt, quod *Purpurati Collegii lumen*, & *Romanae Togae decus* appellarètur. Hic pluribus legationi-

bus functus apud Optimates, Reges, & Imperatores, & a Pio IV. Presbyter Cardinalis, & Capuanae Ecclesiae Antistes creatus, ibi inter praeclara ad aeternam memoriam victura monimenta, juxta praescripta nuperae Tridentinae Synodi, magnificum Seminarium a fundamentis erexit, & e Scotorum Regno, cujus acerrimus extitit protector, Christianorum Religione ibidem atrocibus dissidiis conflictatâ, atque nefariis factionibus saevissime dilaceratâ, Orthodoxis misere exulantibus, ac Mariâ Reginâ carceribus detrusâ, tanto auxilio fuit, ut nedum

sum-

Digitized by Google

ſummam opem; & alimenta praeſtiterit; ſed & ſtipendia pro ſtudiis ingenuae Juventuti fuerit elargitus. Hinc eſt, quod Janus Vitalianus in libro de multiplici ſtatu Religionis apud Scotos, de hoc Heroë jure haec cantet:

Venit ad immenſam frugem tua nobilis arbor,
Roma tibi haec ſacri dives honoris opum.
Brachiaque extendit, totum diffuſa per Orbem,
Et ſubit Eccleſiae caſtra cacuminibus.
Pontifices auguſta tibi, auguſtaſque tiaras
Et dedit illuſtres imperioſa Duces:

Unde venit Princeps nunc
Cajetanus, avitae
Heres virtutis ſtirps gene-
roſa tuae.
Cedite per vos jam quercus,
vos cedite lauri,
Vos licet ornetis tempora
Dîa Ducum.
Principe ab hoc uno ſucce-
det gloria major,
Quam quidquid poterant
ſecula priſca dare.

Reſtat, ne longius excurramus, ut alterum de altero Sacri Collegii Heroë afferamus monumentum. Extincto Henrico III. Galliarum Rege, ex tot ibidem ab orci tenebris Zuinglianis, Lutheranis, & Calvinianis Neronibus

busrumpentibus, Romanam Ecclesiam Christi Sponsam, Fidelium Matrem impetu appetentibus, eminus jactis telis, sed imbellibus, irritoque cadentibus eam confodere, & prosternere, si tantum impietas posset, per summum scelus audacissime molientibus, Henricus Cajetanus huic tanti momenti negocio, divino nutu, a Supremo Gregis Christi Pastore, praeficitur; qui militans sub invicto Romanae Fidei scuto, ejus Hydrae vim omnem, & conatum solide, ac penitus retunderet, repelleretque; verumenimvero quanta fuerit CAJETANI pectoris, in sedandis pro ele-

Digitized by Google

ctione novi Regis diſsidiis; prudentiae dexteritas, ſive Religio, & fortitudo in profligandis illarum haereſeon monſtris, meminiſſe ſat erit, quod ire viſa fuerit:

.....pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos.....

Ceterum, Pariſiis, cum dira graſſaretur fames, prae illius Urbis obſidione, tanta liberalitate Henricus bona ſua diſtribuerat, ut exhauſto aerario ad quinquaginta numûm aureorum millia, venditis ſupellectile, vaſiſque argenteis, ac ſuis ipſius veſtibus, coactum pretium eximia liberalitate in pauperes erogaverit.

Digitized by Google

gaverit. O factum aeternâ memoriâ dignum, menti commendandum penitus, & sedulo ab Ecclesiasticis Principibus imitandum! Quanta vero fide Majores Tui vel Pontificias, vel Regias vices impleverint; & parta, ac labentia quasi, Regibus Regna servaverint, testes tot sunt fasces, tiarae, pallia, purpurae, totque innumera pene celeberrima Oppida, & Urbes quae nedum in Neapolitano Regno, sed in Italia tota CAJETANIS fuêre praemio; testis itidem locupletissimae fidei triarius ipse Rex Ferdinandus Aragonius, qui factus veluti Naturae aemulus, pro summis CA-

JETANAE Gentis meritis: *Nil excogitans majus, eam perpetuo adoptionis jure ſibi, totique Aragoniae Domui aſciſcere, cum omni Regii ſanguinis praecipuo jure, anxie exoptavit.* Idque non mirum; jamdudum enim radiantibus, praeclariſque CAJETANORUM geſtis invidens, quaſi dixerim, Fridericus Imperator hoc nomine ſecundus, Conſtantiam Svevam dilectam filiam, dilecto Conrado Cajetano Siciliae Proregi, maritali foedere junctam voluit, quod relatus Caſtilioneus, aliis hiſce verſibus cecinit:

Proximus a primo Fridericus jungere natam
Vult,

Digitized by Google

Vult, Conrade, Tibi, quem
Cajetana ſuperba
Heroum de ſtirpe Domus,
tulit inclyta Piſis.

Hinc ex Romanis Hierarchis Nicolaus III. materno Cajetano, quam paterno, vel praeclariſſimo cognomine, decorari maluit. Quanta denique Eminentiâ, & Majeſtate Majores Tui, Excellentiſſime Princeps & literis, & armis praefulſerint, referre non auſim, cum & argute, & vere de CAJETANO Genere quis dixerit: *Ex utroque Caeſar*. Illud tamen meminiſſe juvabit, Imperatoriam Lotharii Majeſtatem a Cajetana manu legibus armatam fuiſſe, eaſque to-

totius Orbis bono, veluti promulgatas ; nam alteri Gerardo Cajetano ingentis Classis Duci pro Pisana Republica adversus Rogerium , expugnatâ Amalphiâ, singulari fato opimae praedae cessêre praeclara illa veterum Jurisconsultorum,& legum Romanarum authentica autographa monumenta jamdudum a tot seculis sepulta , & inde Imperatori oblata , eodemque annuente,Pisas importata sunt ; alioquin futurum erat , ut desudati illi Veterum labores egregii jam essent irriti rubigine , vel militari rabie exesi. Non est ut miremur igitur , si inclyta CAJETANA

Gens

Digitized by Google

Gens pene toto Terrarum Orbe ad immenſam gloriae ſegetem diſſeminata; Cumque vero Cajetâ Neapolim commigraſſet, ibique ſtipite implantato, ex quo, digniſſime Heros, recto ſtemmate Te deſcendere, ex quo totius Familiae Princeps extas, certiſſimum eſt, Romae, Sardiniae, Siciliae, Catanae, Florentiae, Piſis, propagata eſt; ampliſſimis ſemper aucta titulis, florentiſſimis cumulata Dynaſtiis, & Principatibus, ſexcentorum & Oppidorum, & Urbium dominiis opulenta; Regum, & Imperatorum, ac Romanorum Pontificum Alexandri III. Eugenii III. Nicolai

lai III. Pauli III. Martini III. alias V., Pauli IV. Bonifacii IX. aliorumque affinitatibus praeclara; tot Conſules, Praefectos, Senatores, tot inſignes exercituum Duces, tot Metropolitas, Primates, Patriarchas, ac innumerabiles pene ad Majores Eccleſiae ſedes evectos Sacrorum Antiſtites, qui omnes, Honores ita geſſerunt, ut ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati viderentur; totque Purpuratos edidit Patres, ut id genus Heroum numerari vix poſſit, quin

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Unde Georgius Triſſinus Italorum

lorum Homerus, cum id satis perspexisset, prae ceteris praeclarissimis Italiae Familiis, CAJETANAM, Romanae Ecclesiae Heroum genitricem, jure cantat. Quae denique, & duos in albo Sanctorum recensitos habet Heroas, Ducibilem nempe Cajetae Episcopum, & Probum, cujus solemnia Sacra celebrantur ibidem VIII. Eidus Octobris; & duos Ecclesiae Romanae tulit Hierarchas Gelasium II. Sanctorum etiam Syllabo adscriptum, ut videre est in Martyrologio Gallicano Andreae Saussai, qui eâ gratiâ, tantaque auctoritate praevaluit apud Christianam Rempublicam,

cam, ut electionem Calli-
sti II. in sui successorem pro-
prio oris praeconio, antequam
e vivis discederet, designa-
tam, unanimi suffragio ra-
tam habuerit Eminentissimo-
rum Patrum Senatus; & Bo-
nifacium VIII. virum quip-
pe acerrimi ingenii ad quod-
cunque regimen factum; ter-
geminae Tiarae summum de-
cus, ac lumen, utpote qui pro
tuenda Pontificia dignitate,
pati fortia Romanum esse, non
dubitavit. Ceterum, cum au-
ctor esset Sexti Decretalium
Voluminis; ac Jurispruden-
tiae Romanae, quae tunc e
tenebris erui coeperat, illu-
strator, dignus censeri debet

non

Digitized by Google

non Inferorum ſedibus, ut nimio turgens nigrae lolliginis ſucco fabulatur, debacchaturque Dantes Alighierius, ſed ut inter Coeleſtia referretur, Cajetanas Heroinas virtutibus omnibus ad miraculum uſque exornatas, inclytiſque Principibus nuptas, praeſtat ſilêre, cum vix ac ne vix quidem poſſint numerari. Commemoraſſe ſatis erit praeclariſſimam Johannam Baltheſſari Branſuichio, Othonis Imperatoris germano fratri nuptui traditam; cui adjungere lubebit alteram Johannam Petro Aloyſio Farneſio etiam junctam conjungio, quae eximii Pauli III. Romani Pontifi-

cis

Digitized by Google

cis Opt.Max. & literarum extitit Mater. Verumenimvero, redeamus jam nunc ad noſtrum Maecenatem, qui Bonifacii patrui ſui numeris abſoluta omnibus imago eſt, utpote ad cujus raras animi dotes, ita concinno nexu copulavit natura ſagax egregiam ſtaturam, nobilem corporis habitum, & magnificum, ejusque majeſtatis, & gravitatis lenitate temperatae, quam Imperio dignam cenſebat Euripides, ut Plato nobis apud nos alter extare videatur; vel ipſe ſaltem putarim, ſapientiſsime Princeps, Te alterum Honoratum eximii Chriſtophori filium, quem ob praeclariſſimas

Digitized by Google

clariſſimas virtutes (praecipue juſtitiae, quam adeo religioſe coluit, ut jura ſanguinis ei poſtponere minime dubitarit, cum Petrum Bernardinum filium de conjuratione ſuſpectum, ipſimet Regi, licet renuenti, puniendum tradiderit) Honoratiſſimum vocat Rex Ferdinandus, apud quem quanto in pretio fuerit, vel ex eo dignoſci poteſt, quod ei nuptui tradita Lucretia-Maria Aragonia, collatiſque plurimis regiis beneficiis, vel Principatu Altamuranorum, quem Principatum nunc beneficio CAROLI VI. Caeſaris retines in Pedemontanos, ipſiſſimo tem-

Digitized by Google

poris potiori Jure, quo olim Altamuranorum Principes ex Tua Gente fruebantur, decoraverit. Sed ab eo haut dissimilis fuerat Jordanus germanus frater, prisci candoris, & humanitatis exemplar, Capuanae Ecclesiae, Gentisque suae refulgens gemma, cujus virtutes ceteras expressit nemo paucioribus, ac vividius fastuosis Campanis, eo elogio, quod in sepulcro Pontificis meritissimi, incidendum curarunt:

JORD. CAJET. ARAGON. PONTIF.
CAPU.
PATRIAR. ANTIOCH.
PIETATIS, ET JUSTITIAE CULT.

Ce-

Digitized by Google

Ceterum, inclyte Princeps, & iccirco plurimum Providentiae debes, & quod ex plurimis Heroinis, nempe Bauciis, Marzanis, Comitibus, Urſinis, Aquavivis, Cantelmiis, Columneis, Pignatellis, Carafaeis, Croys, & e quatuor ab Stirpe praeclariſſima Sanſeverina (quam per Mandellam CAJETANAM, nedum propagatam, verum & incolumem ſervatam fuiſſe conſtat, eo egregio facinore, quo ab ira Ferdinandi Regis Sanſeverinam prolem, mirabili prorſus modo ſubtraxit) Tuae Familiae maritali foedere innexis, atque immortali nominis commendatione

copulatis; Sveva, nempe avuncula Caroli III. de Duratio, ac Divi Thomae Aquinatis pronepte, Jacobo Fundorum Comiti; Catharina, Friderico Morconii Comiti; Johanna, Franciſco germano fratri Tuo, armis, muneribus, literiſque praeclaro; Tibi felici, ac jugali nexu Auroram conjunxerat, cui cum par eſſet & Tuorum & ſuorum Majorum in Deum religio, & in pauperes amor, & liberalitas, neminem a ſe moerentem, & vacuum unquam dimiſit; quin vel ad eorum inopiam ſublevandam, vel ad virginum, & viduarum pudicitiam, & caſtitatem ſervandam,

Digitized by Google

vandam; ſive ad conſtruenda Divorum Templa, ſexcenta, & amplius aureorum numûm millia, Te annuente, ſummâ munificentiâ conſumpſiſſe, nemo eſt, qui ignoret. Dei Genitrici, quam pientiſſime vel a prima juventa coluit, in ea Pedemontii Regione, quae Vallata vocatur, excisâ non exiguâ parte Montis Cilae, undequaque celeberrimi, aëris nempe ſalubritate, ridenti herbularum amoenitate, limpidiſſimae ex ejus ſinu jugiter fluentis aquae copiâ; eximii olim poëtae Ludovici Paterni Muſis, & Fabii Maximi caſtrametatione, cum Carthaginienſis Annibal Allifa-

Digitized by Google

rum Urbem, tot eximiis Scriptoribus perclaram, dirâ obsidione tenebat, & ipse cunctando restituit Rem; mirâ pietate, & munificentiâ constructo Templo, & Coenobio Clericor. Regular. Minor. ab eadem vicissim Deipara in suo ipsius Festo Visitationis die in Coelum, ut credere par est, recipitur. De illius praeclarissimo sanguinis splendore, deque eximiis tum corporis, cum animi dotibus, silêre utique praestat, cum eas non modo Neapolis, & Italiâ, verum universa prope Europa sit demirata. Hanc igitur Heroinam venerabitur posteritas, de-

mirabitur

mirabitur aeternitas, utpote,

Qua nihil majus, melius-
que Terris
Fata donavere, bonique
Divi,
Nec dabunt; quamvis re-
deant in aurum
Tempora priſcum.

Paucula haec itaque, ſapientiſſime Princeps, Tuarum, Tuaeque Familiae laudum monimenta, publici Juris facere decrevi, non ut modeſtiam vexarem Tuam, qua laudes quaſcunque Tuas recenſeri ſummopere renuis; nec ut laternulâ armatus, oſtenderem quae luce meridiana ſunt clariora; non

enim mihi latet; Stemmati Tuo Solem imminêre, quem nulli fas intueri, nisi facundo Aegyptiorum silentio, conceſſum eſt: ſed ut ſciant Nepotes Tui, Joſephus Antonius praeclariſſimi Franciſci; Aegydius, & Maximilianus Thomae alterius germani fratris Tui amantiſſimi, ac praenobiliſſimae Heroinae Wilelminae Comitiſſae de Merode filii, & qui naſcentur ab illis, animo recolere, & ſuae Proſapiae, & ſuorum Majorum imagines, ſeque CAJETANA AQUILA, non degeneres probent. Id unum reliquum eſt, ut has qualescumque ſint ruſtici Agelli noſtri

ſtri primitiae ex amoenis ſapientiorum Scriptorum viretis, in gratiam cupidae, ac ſtudioſae ſcientiarum, liberaliumque artium Juventutis, excerptae, pro humana Tua benevolentia, tot, tantiſque erga me beneficiis, teſtimonia, benigno excipias vultu; nullum enim a viro Religioſo, olim Ruri degente majus, aut magis acceptum Principi, cui cetera omnia affatim ſuppeditantur, munus offerri poterat. Tuum igitur erit pati humaniter, Nomen Tuum tam praeclarum, huic noſtrae opellae praelucêre; ſi enim qualecumque hoc meae tenuitatis, atque humilitatis

ob-

obsequium, quod praeclarissimo Nomini Tuo inscriptum cernitur, licet nulla ex parte tanta majestate dignum, sapientissimo judicio Tuo, atque eximiâ illâ, quae Tibi insidet humanitas, non improbatum fuerit, facile sperarim, vel invitis scitulorum geniis, Reipublicae literariae, non ingratum fore. Vale interea, Princeps benignissime, ad Tuae Familiae ornamentum, ad Tuorum decus, ad subditorum levamen; atque ut Res literaria diu valeat, diu vale. Scribebam Neapoli ex Carthusio Colle apud S. Mariam ad Montes pridie Nonas Augustas, M.DCC.XXVIII.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

VIx, ac ne vix quidem poſt aliquot ariſtas, Opuſculum hocce meum luce frueretur ſuâ, niſi D.O.M. dives in miſericordia, ſuam nobis tuliſſet opem. Quippe & praecipua exemplaris pars deperdita, quam Typographis fruſtillatim ſupplere enixi ſumus, nonnullorumque aliorum eventuum ſeries, quibus lividi homines, nos, noſtroſque labores intercipere audaciſſime ſunt moliti, in cauſsa eſſe poterant, ut vel ſero, aut nuſquam formulis literariis conſignaretur. Atque iiſdem de cauſſis exagitatus animus, haut ſatis eſſe potuit corrigendis Typographorum erratis, Operique elimando, cui ſane, ſi diligentior lambendi cura adceſſiſſet, non dubito quin formâ concinniore conſpiceretur. Quare Tuum erit, ſapientiſſime Lector, & mea, & Typographorum, quorum ſat ſcio errata prodiiſſe, corrigere, & ejus Opuſculi, quod Deus bene vertat, Auctorem Tui obſequentiſſimum, Tibique fauſta omnia e Coelo precantem, perpetuo amare. Vale.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
CAPITUM;

Quae in hac Dissertatione continentur.

I. *De Scientiarum originibus.* Pag. 44.
II. *De Linguae Latinae ortu, progressu, & interitu.* 61.
III. *De Logica, seu facultate rationis directrice.* 191.
IV. *De Morum disciplina.* 211.
V. *De Jurisprudentia Romana.* 215.
VI. *De Eloquentia.* 246.
VII. *De Re Poëtica.* 263.
VIII. *De Philosophia naturali, & Philosophorum sectis.* 311.
IX. *De Sacra Scriptura, ac Divina Traditione.* 350.
X. *De Romano Pontifice.* 376.
XI. *De Theologia Dogmatica, Polemica, Ascetica, Liturgica, Judiciali, Naturali, atque Scholastica.* 379.
XII. *De Conciliorum origine.* 391.
XIII. *De Jurisprudentia Canonica Romana.* 398.
XIV. *De Ethica Christiana,* 410.

EMI-

Digitized by Google

EMINENTISS. SIGNORE.

ANgelo Vocola ſtampatore Napoletano, ſupplicando eſpone a V. Em. come deſidera ſtampare un libro, il cui titolo è: *De Canone Studiorum*, del M.R. Can. D. Niccolò Occhibovio; ſupplica perciò V. Em. commetterne la reviſione a chi meglio le parerà, per aver dopo la licenza di poterlo ſtampare, e lo riceverà, ut Deus, &c.

Rev. D. D. Julius Nicolaus Ternus U.J.D., Theolog. Em. Domini, revideat, & referat. Neap. 23. Feb. 1728.

D. ANTON. CASTELLI VIC. GEN.
D. Pet. Marcus Gypt. Can. Dep.

EMINENTISS. DOMINE.

EM. V. juſſis, ut par eſt, morem geſi. Opuſculum *De Canone Studiorum* inſcriptum, Auctore Admodum Rev. Can. D. Nicolao Ochibovio Latino adornatum idiomate, quanta valui animi contentione perlegi: nihilque in eo offendi, aut ab Orthodoxa Fide abſonum, aut Chriſtianae Ethicae adverſum; quin & penitiore eruditione refertum, & ad veritatis amuſſim exactum deprehendi: ſtylum ele-

Digitized by Google

elegantem, ſed facilem, & ad cujusque captum adcommodatum: verba nitida, ſed non ampulloſa. Methodum denique in eo exhibet Auctor ad Artes, Scientiaſque apprehendendas, adeo propriam, & naturalem, ut jure merito, Scientiarum Canon ſit appellandum. Tyrones ergo praeſertim, ac ſapientiae Candidatos non modicum ex eo fore percepturos fructum, dummodo ea, qua oportet mentis adtentione in illud incumbant, ſperarîm. Illud vero majore laude dignum reddit Auctorem, quod totus in eo ſit, ut Fidei, ac morum doctrina, Eccleſiaſticaque diſciplina ſarta tecta habeatur. Dignum propterea exiſtimo librum, qui quantocius publicâ, Tuâ munitus auctoritate, luce donetur. Datum Neap. Prid. Kal. Majas Epochae Chriſt. An. M. DCC. XXVIII.

Em. V.

Humillimus, ac Devotiſſ. Servus
Julius Nicolaus Tornus.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur. Neap. 13. Auguſti 1728.

D. ANTON. CASTELLI VIC. GEN.
D. Pet. Marcus Gypt. Can. Dep.

EMI-

Digitized by Google

EMINENTISS. SIGNORE.

ANgelo Vocola pubblico ſtampatore di queſta Città, ſupplicando eſpone a V.Em. come deſidera dare alla pubblica luce delle ſtampe, un' Opera del M. R. Can. D. Niccolò Occhibovio della Città di Piedemonte, intitolata: *De Canone Studiorum Diſſertatio*. Supplica per tanto V. Em. commetterne la reviſione a chi meglio le parrà, e l'avrà a grazia, ut Deus, &c.

Magnif. U.J.D. Jo: Baptiſta Vicus, videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. VENTURA REG.

Alii Spect. Reg. non interfuerunt.

Proviſum per S. Em. Neap. 5. April. 1728.

Maſtellonus.

PRINCEPS EXCELLENTISS.

DEceſſoris Tui, Excellentiſſime Princeps, imperio librum recenſui, inſcriptum: *Nicolai Occhibovii De Canone Studiorum Diſſertatio*; in quo nihil, quod Regia Jura laedat, quicquam notavi; ſed & Encyclopaediae inſtar ſum contemplatus, quod ſtudioſam Juventutem ne vel tantillum qui-

Digitized by Google

quidem inutili opera remoretur; neque fatiſcente Auctorum copia deterreat; ſed brevi, plana, & explorata via, ac Latini ſermonis elegantia ad omnem Diſciplinarum Orbem cum Sapientiae bona fruge abſolvendum feliciter circumducat. Itaque auctor ſum, ut literariis typis mandetur, quam auctoritatem meo civis erga Te Principem obſequio ſubmitto. Datum V. Eidus Junii, Anno M. DCC. XXVIII.

Tui, Excell. Princeps.

Devinctiſs. Cliens
Joh. Baptiſta Vicus.

Viſa relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. VENTURA REG.
ULLOA REG. CASTELLI REG.
PISACANE REG. PEYRI REG.
THOMAS REG.

Spect. Reg. Miro abſens.

Proviſum per S.Exc. Neap. 18. Auguſti 1728.
Maſtellonus.

PRO-

Digitized by Google

PROLOQUIUM.

CUM me exercendi cauſsâ docendarum, domeſticos inter lares, diſciplinarum liberalium, quas didiceram olim in publicis Lyceis, munere ab aliquot annis & Neapoli, & Pedemontii pro virili fungerer; & hinc evocatus iterum, ut in Venerabili Seminario juxta vetuſtam Collegiatam Eccleſiam Divae Mariae Annunciatae, Antonio Auguſtino, Sebaſtiano Pighio, Petro Paulo Medicaeo, Allifanis Antiſtitibus, atque Cajetanis Principibus percharam, in ea Pedemontii Regione, quae vulgo Vallata dicitur, quamque ab eo; e radicibus Cilae effluens nitidus, ac percelebris Tauranus fluvius Mateſii Montis filius,

Inſignis Collegiata Divae Mariae Annunciatae, Allifanis Antiſtitibus, praeclariſque Cajetanis Principibus perchara.

Vallata Pedemontii Regio in ridenti plani-tie poſita, quam nobilis Tauranus circuit, & lambit undequaque.

Digitized by Google

haut jure dividit; Alumnos in iisdem disciplinis instituerem; ne *illotis*, ut ajunt, *manibus* ad ea sacra peragenda adcessisse videremur, antequam edocendi munus obirem; de Scientiarum, Artiumque liberalium generibus aliqua praelibanda; quibus facilis ipsis semita monstraretur ad ea capessenda, quae unicuique eorum scitu necessaria censerentur, operae pretium non exiguum fore ducebamus. Sed cum per nos extemporaneâ pene, ac jejunâ Dissertatione solemniter ad ipsos ejusdem Seminarii Alumnos habitâ coram dignissimo Allifarum Praesule, praeclarissimâ Sanseverinae Stirpis Heroinâ, praestantissimis Cajetanae Familiae Principibus, ac venerabili omni literatorum virorum coetu, id praestitum sit VII. Eidus Aprilis, Anni superioris M. DCC. XXVI. Amici eruditione praestantes, ac cupida ingenuarum Artium studiosa Juventus, mecum precibus egerunt, ut Dissertationem, quam utpote vulgaribus quarundam Scholarum placitis minime conformem; nam mussitarunt aliqui, nullius frugis adcessione

Dissertationis occasio:

Scitulorum Carpendi prurigo.

sione dignam, & *Scituli*, qui sese ceteris nasutiores putantes, doctiores haberi volunt; aliique insulsi *Audaculi*, quos carpendi prurigo jamdiu tenebat, haut rem novam esse autumarûnt; horum ingratiis, ad aemulationem praestantium ingenio virorum, qui summo Rei literariae bono, ad aeternam memoriam, dignis editis eruditis monumentis, Patriam hanc nostram, non secus ac Alumnii, Gargalii, Alpherii, aliique tiaris, fascibus, laureis, purpuris Allifanam Urbem illustrarûnt, publici juris facerem.

rigo, ac nasutiorum mussitatio, quorum iratis diis, haec dissertatio, formulis literariis consignatur ad commune studiosae Juventutis bonum.

Patriciae Familiae Allifanae quae?

Ex Alumniis enituit praecipue Nicolaus sub Johannâ I. magnus Regni Siciliae Cancellarius, ejusque filius Franciscus-Rentius, Nuceriae Paganorum ab Urbano VI. avunculo suo in Cardinalium Collegium cooptatus. Ex Gargaliis Gaspar armis praeclarus, intimus familiaris, & Consiliarius Caroli Lanoy Proregis Neapolis. Ex Alpheriis prae ceteris claruit doctissimus Johannes Episcopus Allifanus, qui utpote pietate pientissimus, Beneficium sub titulo Abbatiae S. Mariae Magdalenae usque ab anno 1300. profusis sumtibus a majoribus suis erectum, ejusque Patronatu Familiae reservato, ac a Bonifacio IX. sub anno 1390. speciali diplomate confirmato, novisque privilegiis aucto, commodiori Ecclesiâ a se solemni sacratâ ritu, aliisque proventibus, ditavit. Quod Jus patronatus per Franciscam Alpheriam delatum ad Numerium Gargalium, relati Gasparis filium: tandem Gargaliorum Familiâ ad Antoniam redactâ, eâque Francisco Vendictolio matrimonii foedere junctâ, ad Vendictolios transiit, cujus ad praesens unicus insimul Patronus & Abbas extat Laelius Vendictolius, Alpheriorum tum sanguinis, cum rei familiaris heres, qui utpote optimis moribus, ac literis excultus, est omni aliâ dignitate majori dignissimus. Ceterum, ni fallor, ex praeclaris Familiis vel Alumniâ, vel Alpheriâ censendus mihi videtur Johannes Allifanus, Regni Siciliae Protonotarius sub Manfredo Rege anno 1263. cujus meminit Ughellius in Catalogo Episcoporum Allifanorum. Sed ô quanti, vel antiqua monimenta, partim jamdiu ruinis obruta, partim flammis, & tineâ exesa, vel saltem Xystinum Chronicum, si ad nos perveniissent, ad rem Allifanam essent momenti!

Digitized by Google

Et quanquam renuiſſem, & ſerio; partim, ne regnum in literis affectare videremur; regnare enim eſt, & quidem inique, opprimere judiciorum libertatem, & in verba, legeſque ſuas homines adigere; quippe res eſt ſacroſancta libertas, & divini juris, quam utpote a Deo humanae implicatam naturae, tentare ſcelus, impium circumvenire, nefarium occupare videatur: quare jus eſt Principibus incolumem praeſtare, cui juſtam libertatem effuſiori licentiâ quis corruperit; quanquam non ignoremus, ut ſcite admodum inquit eruditiſſimus Johannes Baptiſta Vicus, quod *hoc judiciorum genus, niſi, qui Horum... nihil egregie praeter cetera ..... & tamen omnia haec mediocriter ſtuduerit, nemo recte praeterea proferre poteſt*: partim, quia eam tenebris potius, quam luce dignam cenſeremus. Noſcitabamus inſuper haut nos dignos in eorum Civium noſtrorum albo deſcribi, quibus ſane tantum licentiae debuit quaeſita meritis gloria; & praeſertim viris ſummis

Libertatem, utpote divini Juris, violare nefas.

Principes ſunt juſtae libertatis vindices.

Johannes Baptiſta Vicus laudatur.

Digitized by Google

mis Johanni de Forma, Camerae ſummariae Praeſidenti, Domini Protonotarii Regni Siciliae, Honorati Cajetani locumtenenti, Vincentio de Franchis, Sac. Reg. Conſ. olim Praeſidi, Jacobutio ejus patruo magno, Regio Conſiliario, Ludovico Paterno, Poëtae eximio, Ovidio de Amicis Juriſconſulto celeberrimo, Campanae Eccleſiae Canonico Praesbytero primario, quos ſecuti ſunt Philippus, & Franciſcus Pedemontii, Nuntius Tartaleus, Hieronymus Occhibovius ſenior, percelebris Jureconſultus, ac gentilis noſter; Johannes Felix de Potentiis, Nicolaus Georgius, & alii, qui, editis variarum rerum, ac multiplicis literaturae voluminibus, non mediocri laude floruerunt. Tandem cum in ruſculo noſtro apud S. Petrum de Folliſcio, non procul ab eo, in quo jamdudum Ludovicus Paternus Myrthiae laudibus clarus, non ſecus ac olim Primicerius Camillus Peregrinius ſenior in Campani Amphitheatri ruinis ruſticando muſis indulgebat; nec multum diſſiti ab Allifarum Urbe, vel Hannibalis Carthaginienſis obſidione, Rogerii regis ad-

Viri eximii, qui cedro dignis editis literariis monumentis Patriam illuſtrarunt, Johannes de Forma, Jacobutius de Frachis, Vincentius ex fratre nepos, Ludovicus Paternus poëta, Ovidius de Amicis, Philippus, & Franciſcus Pedemõtii, Nũtius Tartaleus, Hieronymus Occhibovius ſenior, Johannes Felix de Potẽtiis, Nicolaus Georgius.

Seceſſus Auctoris ſuo in ruſculo levandae valetudinis cauſſâ

Ludovicus Paternus Poëta Myrthiae amoribus preclarus, ejuſque ruſticatio eo in loco, ubi vulgo Monticellus dicitur.

Allifana Urbs, vel immanis

Digitized by Google

Hannibalis Carthaginiensis obsidione, Roperi Regis admiratione, ac S. Xisti I. Papae, & mart. sepulchro praeclara.

miratione, ac a sexcentis & amplius annis S. Xysti I. Papae, & Martyris Sepulchro praeclarissimâ, levandae valetudinis gratiâ, degeremus, quantum per otium vacare licuit; quod sane nullum pene fuisse fatemur, cum prae frequenti Amicorum accessu, tum prae plurimis curis, quibus meâ incumbere intererat, suadente amicissimo collegâ meo Decano Francisco Apicio, viro sane, absque controversia, ingenuitate, ac doctrinâ praestante, ad extemporaneam illam, ac jejunam pene dissertationem, verioribus, utilioribus, ac prolixioribus documentis, ut eidem Juventuti ad scientiarum, artiumque liberalium genera eâ methodo, quam commodissimam, nec fortasse excogitatam ducebamus, sterneretur via, augendam, & illustrandam tulit animus. Quodque cum, auctore Deo, a quo bona cuncta procedunt, jam brevi effectum sit inter tot curas, ac valetudinis incommoda, quibus addas, quod cum ita esset, ne quorundam justas fortasse querelas subiremus, vel tantillum a servitio chori, cui per hebdomadam ex

Laudatur Canonicus Decanus Franciscus Apicius, quod Auctori suaserit operis perfectionem.

con-

Digitized by Google

conventione, per Sedem Apoſtolicam approbatâ, adſtricti ſumus, abeſſe quivimus, ſtatim, uti par erat, de cenſoribus cogitatum eſt; quapropter praeſtantiſſimos adivi viros, & praeceteris Fortunatum Palumbum Regiae Neapolitanae Academiae, ac ſui Ordinis decus; Laelium Vendictolium in Liberalibus diſciplinis, ac praeſertim in utroque jure nulli ſecundum; Franciſcum-Mariam Pratillium, Campanae Eccleſiae Canonicum Presbyterum, ac optime de literis meritum; & Simonem Barram, literis politioribus, & ingenio excultum, ut de ea diſſertatione ſuum ingenue ferrent judicium. Verum enim vero quoniam ſtudioſae, ac cupidae literarum Juventutis bono perutilem fore cenſuerunt, denuo eo meliori modo, quo eam nunc Tibi, benigne lector, exhibeo, pro viribus meis poliendam curavi. Ceterum parcendum eſt imbecillitati meae, quae eo magis major facta eſt, quo ruri degeremus, ubi & ingenium rude, & nulla, aut parva librorum copia, meliora haut ſuppeditabant. Si in ea vero non ubique latinis verbis, nec concinno

Aditio Auctoris ad praeſtantiſſimos viros Fortunatum Palumbum, Laelium Vendictolium, Franciſcum-Mariam Pratillium, Simonem Barram, qui ſtudioſae Juvêtutis bono opus edêdum exoptarunt, ac cenſuerunt.

Conqueritur Auctor imbecillitatis ſuae ad maxima inhiâtis, ſi pro viribus poſſet.

Digitized by Google

Quarundam vocum usus scribentibus vitio verti nequit ob nonnulla nova rerum nomina, & linguae egestatem.

nexu junctis usi sumus, veniam facile speramus a linguae peritis, vel ex eo quod illos non latet multa esse nova rerum nomina, quae latine efferri, non possunt: ideoque quarundam vocum usus scribentibus vitio verti nequit. *Omne, quod de re bona dilucide dicitur*, Ciceroni ipsi, *praeclare dici videtur. Istiusmodi etiam res*, eodem judice, *dicere ornate velle, puerile est: plane autem, & perspicue expedire posse, docti, & intelligentis viri*. Hinc haut illi sumus, qui eorum sententias probamus, qui vocabula disciplinarum quarumque propria exterminant, & Philosophorum sermonem ad lucem classicorum Scriptorum expendunt. *Ita inique Petrum Victorium*, ut ait Vossius (1) *fugillat Majoragius, quod usus esset vocabulo* contrarietatis. *Et recte Scaliger* (2). *Non versamur in foro, aut in Romano Comitio, sed in communi theatro sapientum, sub oculis veritatis; cujus supellectilem, atque apparatum, non tam nitidum, quam opulentum esse decet.*

Hinc

(1) Vossius Institut. Orat. lib. 4. cap. 3.
(2) Scaliger Exercit. prima ad Cardanum.

Digitized by Google

Hinc ſi in iis, quae *de Re Latina* ſcripſimus, ut ab ea exordiar, aliqua ſcitu digna reperies, non nobis, ſed gravioribus ejus linguae cultoribus, praeſertim doctiſſimo noſtrae aetatis viro Johanni Baptiſtae Vico, cujus diſerte tradita, haec nobis ſcribentibus facem praetulerunt, honorifice referri non dubitamus. Quin vero, ne quivis furti crimen jure nobis quoquo modo objiciat, ſi quaevis alia, hoc uno in noſtro aggeſta libello, ab Auctoribus quibuſcumque excerpta videantur, eis ad reddendum hujuſmodi mutuum, cum praeſertim, ut Jureconſultus ait, *ſors fiat ex uſura*, paratiſſimi ſimus: non enim in hac noſtra opella fucatam nobis quaerimus laudem, ſed diſcentium commoda, & Dei Optimi Maximi gloriam, *qui dives in miſericordia*, citra expectationem noſtram, ad malignorum emendationem, & Zoilorum pacem, dedit incipere, & perficere. Hi enim, quis crederet, ut fructum omnem exigui hujus laboris interciperent, novis inſidiis, veluti armati ſatellites, arcem patientiae noſtrae aggredi ſunt conati; ſed ne

Johannis Baptiſtae Vici ſcite tradita, Auctori ſcribendi facem praetulerunt.

Auctor ne plagii crimen incurrat, proteſtatur ſe, vel cum uſura, unicuique acceptum mutuum redditurum.

Operis finis Dei gloria, & diſcentium commodum.

ab

Auctori haut tanti fuêre Malignorum insidiae, ut a semetipso aberrare eum cogerent.

ab hisce quidem insidiis Arci nostrae periculum fuit. Verum enim vero, cum hae querelae non sint hujus loci, ad graviora studia transeamus, & invidos dimittamus consumendos livori suo. Quisquis enim pro rebus maximis, ut scite admodum inquit Gravina, qualis gloria litérarum est, invidiam subit, hunc optimum sane putes iniisse consilium. Aciem namque invidiae dies obtundit, & vestigia livoris aevum obliterat: laudem vero doctrinae posteritas alit, atque adeo ipsa conservat & tuetur aeternitas. Hinc bonam mentem, cum fortunae rebus, utpote extra naturae fines effusis, ac proinde perturbationum administris, si ad rectam rationem revocemus, minime commutaverim: ad graviora igitur studia transeamus; nam, ut eleganter inquit Claudianus 1.

Optimum quisque sibi init consilium, si pro gloria literarum, quâ tuetur aeternitas, invidiam subit, cujus aciem dies sensim obtundit.

Mens sana cum Fortunae rebus, minime commutanda.

Ipsa quidem virtus pretium sibi; solaque late
Fortunae secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi,
Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis. Sed

1. Claudian. in Panegyr. de conf. M. Theod.

Digitized by Google

Sed ne in ingenuitatem peccemus, haut me in *Logicis* novi aliquid dixisse, quam ingenio praestantes diserte tradidêre, fatendum est; si enim id dixerim, Te sane fefellero; cum enim omnis literarum jam detectus sit Orbis, ut ultra progredi videatur nefas; cuncta enim nedum logicae artis, sed totius fundi literarii loca ita sunt a prioribus occupata, ut jam inquirenti impensius materia desit, nullaque superstit res, quae a majoribus indicta fuerit; imo quae non sit exornata, ac multa cum dignitate perpolita. Hinc logicam aggredienti, sicuti neque tutum est in nova inniti, ita nec facile erit eam assequi, quâ SS. Ecclesiae Patres Clemens Alexandrinus, Anselmus, Thomas Aquinas, Bonaventura, aliiq; feliciter usi sunt in Theologicis confirmandis veritatibus; nullâ aliâ eruditione novâ indigemus, nisi quâ summum Numen rogemus, ut certae ignorantiae nostrae tenebras, lumine claritatis suae discutiat, ne quisquam jure nobis objiciat

In Orbe literario ultra progredi videtur nefas.

SS. Ecclesiae Patres in Theologicis veritatibus confirmandis, logicâ feliciter usi sunt.

Desine magna loqui, frangit Deus omne superbum:

Ma-

Magna cadunt, inflata crepant; tumefacta premuntur.

Ex adolescentium animis eradicandae penitus inanes voculae, & quaestiunculae, quarum ignoratio summa sapientia est, & solidioribus incumbendum.

• *A Logica*, solidaque philosophia; experientiâ, ac rerum peritorum exemplo ducti, eradicandas existimavimus futiles, inanes, tetricas voculas, & quaestiunculas, quibus misere adolescentium effluentibus primis; ac melioribus annis, tenellum defatigatur ingenium, ut eas integras, & intactas sibi habeat

Gens ratione furens, & mentem pasta chimaeris.

Quid enim ad facultatis indagandi Veri assecutionem prodesse unquam poterit tot animorum contentionibus excutere: *Utrum detur terminus mixtus; an copula possit esse terminus; an detur ens rationis; an Deus possit illud efficere; utrum naturae sint universales in essendo*, ut ajunt, *& praedicando a parte rei, vel ex parte mentis*? aliasque sexcentas, quas peperit Ars Sophistica, subtilioribus Arabum argutiis adjuta, quibus dubio procul adolescentium animos depravari, & ipso in limine studia praefocari experimur; ut non injuria Facultas Artium Parisiensis circa finem de-

Facultas Artium Parisien-

decimiſexti ſeculi Ariſtotelis diſputationes, adverſus veteres phyſicos, accurate examinari mandavit, rejectis inanibus quaeſtiunculis, quas olim Barbari invexerant, & ab humaniore, politioreque ſeculo exploſas. Quod ſane cautum olim fuerat, nempe circa initium decimiquarti ſeculi, ab Johanne XXII. Romano Pontifice in Epiſtola ad Lectores ejuſdem Pariſienſis Academiae data, hiſce verbis: *Quidam, etiam Theologi, poſtpoſitis, vel negle-ctis neceſſariis, utilibus, ac aedificativis doctrinis, curioſis, inutilibus, & ſupervacuis Philoſophiae quaeſtionibus, & ſubtilioribus ſe immiſcent, ex quibus ipſius ſtudii diſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offunditur, ſtudentium utilitas impeditur, &c.* Quare ſcite admodum doctiſſimi Neapolitani Seminarii (quod norma eſt ceterorum, utpote ex quo veluti ex Argolica navi, aut ex Equo Trojano, tot, ut ita dicam, literarum Antiſtites prodeunt) Rectores, ne vel tantillum quidem hiſce minutiis, ab Alumnis immorandum, ſed ſolidioribus rebus incumbendum, veluti jure ſanxerunt. Quiſquilias enim, & ſophiſti-

ſis Ariſtotelis diſputationes, adverſus veteres Phyſicos examinari mandavit, ac a Barbaris adinventas argutias explodi.

Epiſtola Johannis XXII. ad Lectores Academiae Pariſienſis pro eliminandis quaeſtiunculis non ſatis ſacrae doctrinae concretibus.

Laudantur ſapientiſſimi Neapolitani Seminarii Rectores, quod Alumnos non niſi ſolidioribus incumbendum ſinant, curentque.

cas

cas illas Philoſophorum ſpeculationes, non tam miſerum, & irrationabile hominum genus, quam & Deo, & Mundo inimicum reddere, vel ii, qui olim illis operam dedidêre experti ſunt. Et ſane Abaëlardus Peripateticus doctae Heloiſſae amoribus clarus, quem S. Bernardus in Epiſtolis ſuis, novum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte aetate in arte dialectica luſit plurimum, & in Scripturis Sanctis inſaniebat, appellat; poenitentiâ ductus, & Monachus apud Cluniacum factus, haec ſcripſit ad eandem: *Quondam mihi chara, nunc in Chriſto chariſſima, odioſum me Mundo reddidit Logica: nolo ſic eſſe Philoſophus, ut recalcitrem a Paulo, non ſic eſſe Ariſtotelis, ut excludar a Chriſto.* Sed addendum huic, memoriae ſedulo committendum exemplum, quod refert Paſſavantius in ſuo aureo Poenitentiae ſpeculo, illius nempe ſophiſmatum Magiſtri, Serli nomine, qui ad ipſius diſcipuli aeternis excruciati poenis, ob nimiam quondam illis deditam operam, apparitionem, ſtatim convolans ad S. Religionem, haec ſui monimenta reliquit.

Abaëlardus Peripateticus doctae Heloiſſae amoribus clarus, relictis inſanis Arabicae philoſophiae argutiis, ac deteſtatis erroribus, ad optimam frugem evocatur a D. Bernardo.

Horrendum Paſſavantii exemplum de Serli diſcipulo, qui utpote cavillis plurimum indulſerat, aeternis fuerat poenis mancipatus.

Lin-

Linquo coax ranis, cra corvis, vanaque vanis,
Ad Logicam pergo, quae mortis non timet ergo.

Hinc non poſſum non ſtomachari, cum audio quamplurimos, tetricis illis vocabulis, & quaeſtiunculis, quibus incauti quidam Philoſophi, utpote neſcio quo foetu gravidis, impenſe ſe dedidêre, adoleſcentes fieri acutiores; cum tantum id a veritate ſit alienum, ut ſaepiſſime noceant: quin vero illud non leve ſecum traxit incommodum, ut ſi alio tyronibus migrandum ſit, continuo dediſcenda forent priora, quae cum ſenſim in rudibus illis annis altas fixerint radices, eradicari vix poſſunt; nam ut Poëta tragicus in *Troade*, inquit:

Tyronum incommoda.

Quae ſemel altas fixerunt radices, haud facile eradicantur.

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu.

Qua in re non arbitror, ſcite inquit Quintilianus (1), *diu mihi laborandum, ut oſtendam quanto ſit melius optimis imbui: quanta in eluendis, quae ſemel inſederint vitiis, difficultas conſequatur, cum geminatam*

onus

(1) Quintilian. *lib. II. cap. III.*

onus ſuccedentes premat. Et quidem dedocendi gravius, ac priuſquam docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum ferunt duplices ab his, quos alius inſtituiſſet, ſolitum exigere mercedes, quam ſi rudes traderentur.

Non eſt autem, ut referam, cum omnis hiſtoria teſtetur, quos fructus nobis in Eccleſia Chriſti peperit, pariatq; Dialecticae abuſus cum ſuis Sophiſtis, qui fallacibus argumentationibus, earumque tenebris obvoluti, & excaecati, ſibi aliiſque perſuadere conantur, ſine vulgari Logica, ſine perſonata Dialectica, ſine rixa, ſine altercatione, ſine ſophiſmatibus conſtare non poſſe divinam illam ſcientiam, quae a S. Scriptura, & Apoſtolica Traditione, quae veluti depoſitum cuſtoditur in Eccleſia Sancta Dei penes Romanum Pontificem, & totius Chriſtiani Orbis Epiſcopos; ceu a duobus fontibus emanat; non attendentes, quod *omnem vim venenorum ſuorum in dialectica diſputatione conſtituunt haeretici, quae Philoſophorum ſententiâ definitur, non adſtruendi vim habere, ſed ſtudium deſtruendi. Sed non in Dialectica complacuit Deo ſalvum face-*

Apoſtolica traditio veluti depoſitum in Eccleſia cuſtoditur penes Rom. Pontificem, ac totius Chriſtiani Orbis Epiſcopos.

re

re populum ſuum; Regnum enim Dei in ſimplicitate Fidei eſt, non in contentione ſermonis, ut inquit Adrianus Papa. 1. Errat itaque, qui ſibi perſuadere conatur Dialecticam eſſe evertendorum haereticorum machinam omnium potentiſſimam; cum re verâ, ipſa ſit robur omnium haereticorum; omnia namque vel Divo Hieronymo teſte, haereticorum dogmata, ſedem ſibi, & requiem inter Ariſtotelis, & Chryſippi ſpineta reperierunt. Hinc Dionyſius Petavius poſt enarratas priorum ſeculorum haereſes, inquit: *Inſequens aetas tulit alios haereticos, qui Ariſtotelaeae Philoſophiae, & artificioſis iſtis molitionibus magis dediti, eoſdem labyrinthos, at tricas argumentationum ſubtilium impegerunt in Divinam Scripturam.*

Regnum Dei in ſimplicitate Fidei eſt

Ars ſophiſtica evertendae veritatis praeſidium.

Huic nos incommodo remedium allaturos ſperamus, ſi oculos, mentemque noſtram convertamus, ad id quod narrat Aelianus: 2. *Plato*, inquit, *Anniceridis Cyrenenſis, qui ſingulare, & inſolitum, ſed inutile opus ediderat, nimiam indu-*

Cordati viri conſilium.

(B) *ſtriam*

1. Adrianus Papa in Can. omnem diſtin. xxxvii.
2. Aelianus lib. II. variar. hiſtor. cap. xxvii.

Digitized by Google

ſtriam reprehendit, inquiens, fieri non poſſe, ut qui rebus tam nullius pretii operam navaret adeo diligentem, poſſet magnis, & praeclaris vacare. Hinc prae oculis ſemper habendum praeclarum, dignumque illud Sapiente reſponſum, quod legimus apud Phaedrum 1.

Rei veræ, vana eſt gloria.

Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Quod appoſite ad rem noſtram expreſſit Scaliger hiſce verſibus

Haec eſt mearum tota ſumma ſummarum
Stultum, ac ſupinum, plumbeique delirii,
Rebus relictis, conquieſcere in verbis.

Satius igitur illud genus hominum putarem locutum, ſi cum Seneca, dum ait, ſentiret 2. *Nec ego nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni, ac ſecreti boni eſſe judicemus.* Quippe ubi ſcimus quid ſibi velint, quidve ſignificent voces illae, periculum minus

Senecae conſilio obtemperandum.

eſt

1. Phaedr. Fabul. lib. III. Apol. XXXV.
2. Senec. epiſt. XLIX. ſeu lib. VI.

Digitized by Google

eſt, ne nobis imponant, qui eas certis occaſionibus adhibere norunt, neve ubi latentia arcana, ſive nomenclaturam ſuam palam faciunt, aliquid auditu dignum dixiſſe videantur; noſque eorum placita oppugnare perſpicue queamus; nam ut vulgo dicitur: *Ars deluditur arte*. Hinc non injuriâ Adoleſcentes hortati ſumus, ut quam illis quiſquiliis potius perdunt operam, impendant Morali Philoſophiae; nam ut Plutarchus in libro de Liberis educandis; ex nectareo Bionis ore loquitur 1. *Sicut Proci cum non poſſent cum Penelope concubere, rem cum ejus ancillis habuerunt: ita qui Philoſophiam nequeunt apprehendere, eos in aliis nullius pretii diſciplinis ſeſe conterere. Itaque reliquorum ſtudiorum quaſi caput, & ſumma conſtituenda eſt Philoſophia; etenim ad corporis curationem duae inventae ſunt ab hominibus ſcientiae, Medicina, & Gymnaſtice: quarum altera ſanitatem, altera firmam ſani corporis conſtitutionem conciliet. Animi autem aegritudinibus, atque motibus, ſola medetur Philoſophia. Hac duce, & co-*

Philoſophiae praeſtantia, & utilitas ex Bione.

1. Plutarchus in lib. de liberis educandis.

Digitized by Google

mite cognoscere datur quid honestum sit, quid turpe; quid justum, quid injustum; quid ad summam expetendum; quid fugiendum; quomodo nos erga Deos, erga parentes, seniores, leges, alienos, magistratus, amicos, uxores, liberos, servos, gerere debeamus. Scilicet, ut veneremus Deos, parentes honore afficiamus, seniores revereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus, uxores caste amemus, liberos animi interno quodam amore complectamur, servos injuriose non tractemus; &, quod summum est, neque rebus secundis efferamur gaudio, neque adversis nimio luctu dejiciamur: ac neque voluptatibus diffluamus; neque irâ ad saeviciam nos abripi sinamus; quae ego omnium nobis a Philosophia obtingentium bonorum antiquissima judico. Fortunâ enim prosperâ ingenue uti, viri est officium, citra invidiam, hominis moderati, ratione vincere voluptates, sapientis: iram compescere, non cujusvis viri. Perfectos autem viros ego eos censeo, qui norunt facultatem civilem permiscere, & contemperare cum Philosophia: duoque illos summa bona,

Officia hominis bene instituti.

exi

existimo adipisci, ut & in republicâ versando communis vitae usum augeant, & Philosophiam tractando, vitâ fruantur tranquillâ, ac sedatâ. Cum enim tria sint vivendi genera, unum in agendo, alterum in contemplando, tertium in perfruendis voluptatibus occupatum: qui tertium hoc sequitur, dissolutus & voluptatum servus, belluarum similis, objectusque est: contemplator, si actionibus abstineat, inutilis: rebus gerendis deditus, Philosophiae ignarus, rudis est, & facile errat. Pro viribus igitur enitendum est, ut & publica tractemus, & quantum ratio temporis sinit, Philosophiae nos demus.

Non arte, sed naturâ poësis comparatur.

De *Re poëtica*, pauciora fortasse mihi dicenda erant, utpote quam naturâ comparari discimus, nisi iis, qui poëtae nascuntur, veluti digito ostendere coacti fuerimus a latinae Poëseos legislatore. 1.

Unde parentur opes; quid alet, formetque poëtam,
Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.

In quo sane, sicuti in ceteris, ut cum eodem Horatio loquar, fateor me functum

1. Horatius in arte poëtica.

. . . . . *vice cotis, acutum*
Reddere, quae ferrum valet,
exors ipsa secandi.

Eloquentiam nedum naturâ, sed etiam arte comparari necesse est.

De *Eloquentia* vero, quae nedum naturâ, sed etiam arte comparatur, pluribus forsan dicendum erat; verum partim quod sufficere, quae diximus studiosae Juventuti putarem; partim ne libellus hic excresceret nimis; solius enim literati, & vulgatae famae viri conditio ea est, & literaria opera, rerum peritis, quo ingentiora, eo majorem legendi voluptatem afferre videantur, brevem esse adlaboravi. Nec opus esse videbatur istâc arte, ut apud quamplurimos compertum est, ut homines fiant eloquentes. Illis enim animadversum est, parum ad oratorem formandum valere illa subsidia, quae ab inventione argumentorum, phrasium, ornamentorumque petuntur. Argumentorum, ut inquit Arnaldus in Arte cogitandi, ferax mens est, dicendi formulas usus suppeditat; figurarum autem, ac troporum nunquam non adhibentur plus aequo. Hinc Divus Augustinus generatim de Rhetorices praeceptis loquens, ait:

Eruditorum opera, quo ingentiora, eo majorem afferunt legendi voluptatem.

Nec opus esse Rhetoricâ arte ad oratorem formandum visum est quamplurimis Viris ingenio praestantibus, sed ingenio feraci, & usu, quae recte dicendi formulas feliciter ministrant.

Digitized by Google

ait : *Illa nimirum ab eloquentibus obſervari in dicendo, licet de iis ne cogitent quidem, ſive illa ſciant, ſive neſciant. Implent quippe illa, quia ſunt eloquentes : non adhibent, ut ſint eloquentes.* Hinc Virgilius exempli cauſsâ, qui cum nobis deſcripſiſſet Euryalum ab hoſtibus captum, hoſteſque jamjam ſtragem, quam Niſus Euryali amicus intulerat, ex ejus nece ulturos, Niſum producit haec affectuum, & amoris pleniſſima verba exclamantem

Poëtas, & Oratores figuram aliquam affectâſse ſaepe dicimus, cum de ea illi nuſquam cogitaverint.

1. *Me, me : adſum qui feci : in me convertite ferrum*
O Rutuli : mea fraus omnis : nihil iſte nec auſus,
Nec potuit. Coelum hoc, & conſcia ſidera teſtor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.

Neceſſe eſt, non tantum regularum, quas ars ſuppeditat, ſed etiam ſui ipſius oblitum, ut perſonam, affectuſque induceret ejus, quem exhibebat. Rerum igitur copiâ, quae, ut Cicero inquit, copiam verborum facit, ut eloquentes ſimus, indigemus. Copiam autem rerum nonniſi a claris Auctoribus

Rerum copia, ut Cicero inquit, verborum copiam nobis ſuppeditat.

1. Virgil. Aneid. ix.

Digitized by Google

Eloquentes evadimus, si longa, ac seria nos inter, & eloquentes consuetudo intercedit.

instruamur, qui legendi non semel modo, & perfunctorie, sed summâ adhibitâ curâ, iterum, atque iterum, ut eorum stylus nobis familiaris fiat; unde Horatius in poëtica arte

Scribendi recte, sapere est principium, & fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.

Neapolitana Urbs eximiis Oratoribus in omni dicendi genere cum in Foro, tum in Senatu, & in Sacris Cõcionibus praeclarissima.

Hinc est, quod hisce chartis instructa Neapolis, eo devenit, ut in ea Oratores amplo, verso, inflammato dicendi genere, eximios, cum in Foro, tum in Senatu, & in Sacris Concionibus cum summo publicae utilitatis bono, & maximâ linguae gloriâ claros demiratus sit Orbis. Quippe, ut ceteros taceam, meminisse sat erit. 1. nostri Vincentii de Franchis, Francisci ab Andrea, Nicolai Caravitae, eximiq; reconditae eruditionis Viri Cajetani Argentii, Thomae Mazzaccharae, Ludovici Paterni, Summi Senatûs, Sacriq; Consilii luminum, in quos haut temere dixerim, omni-

1. Concivis, ut palam fit publicis Tabulis, quae asservantur Pedemontii apud U. J. D. Thomam Ciccarellium, Virum quippe prisco candore, ac doctrinâ percelebrem, conscriptis a Notario Hercule de Parrillis ann. 1559. die 6. mensis Februarii: & ann. 1568. die 2. Maji: & die 6. Junii 1575.

Digitized by Google

nigenam literaturam, omneſque vires ſuas ad eloquentiam Providentiam inſpirâſſe. Quot vero in Sacris concionibus ſummos Oratores, vel hac noſtra aetate admiramur, praeterire, quam dicere, ne eorum longus texeatur catalogus, ſatius duximus, cum ex eo conjici poſſit, quod vel Cappuccinorum Familia, cui nonniſi divinarum rerum contemplationi vacare eſt, duos nobis celeberrimos dederit; Antonium nempe a Palatiolo, & Bernardum-Mariam a Neapoli utrumque ſublimis Etruſcae eloquentiae admirandum exemplar.

Antonius a Palatiolo, & Bernardus-Maria a Neapoli e Cappuccinorum familia, ſublimis uterque etruſcae eloquentiae admirandum exemplar.

Non dubito quin, ſi quis non Hypſeâ caecior ſit, nec penitus turgeat nigrae loliginis ſucco, viſurus ſit facile, haut inutilia, quae de naturali philoſophia, & Philoſophorum ſectis adumbravimus; ſic enim ut me admonuerat vir eruditus, ac amiciſſimus meus Joſephus Citus, cujus ſane conſilium huic opellae, non parum contuliſſe fateor, Adoleſcentuli hiſtoriam Philoſophiae praeteritorum ſeculorum ediſcent, atque unde ſint multa philoſophica placita exorta rite cognoſcent; alias vix loqui de ve-

Ne in errores dilabamur incauti, hiſtoriam philoſophiae teneamus, oportet.

te-

teribus posſent, quin in crassos errores incauti dilaberentur. Quo in negocio, si vetustioribus Peripateticis, sive Aristoteleâ Philosophiâ male utentibus, alioquin exosa diximus, non est, ut veniam petamus; nam cum per plura secula plus aequo magni feciſſent nugas, jam id a praestantiſſimis viris cautum est, a quibus illorum auctoritati, aperta opponenda fuit veritas, ut eorundem prorsus, excusso jugo, quo misere premebamur, ad solidiora sterneretur via, quae inoffenso pede, ac sine temporis, jactura calcanda videretur.

Cordati viri plurimi refert veritatem inquirere, atque inventâ falsitati opponere.

Quae secuntur de *Romana Jurisprudentia*, ideo dicenda fore censuimus, non ut collocari in eorum numero videamur,

. . . . . qui ut se plurima nosse
Obstentent; pateatque suarum
opulentia rerum
Quidquid opum congesserunt
. . . . . effundunt, & versibus
omnia acervant.

Sed partim ut uno in opusculo studiosae Juventuti omnis monstraretur via; partim, quia tanta est juris

Digitized by Google

ris utriusque affinitas, ut alterius alterum poscat opem, & res conjuret amice, de utroque aliqua oportuit praelibare. De *Jure* vero *Canonico Romano*, consulto egimus, cum Sacrorum Canonum notitia nedum Clericis, sed Laicis etiam adprime necessaria videatur; omnium enim plurimi interest, qui Christianae Religioni nomen dedêre, scire non solum quid tenere, & sequi, sed quid vitare, & fugere debeant, ut ex Leone Papa Epistola XII. *ad Clerum, & Plebem Constantinop.* 1. & ex Celestino *ad universos Episcopos Apuliae, & Calabriae*, clare colligitur. Hinc ansâ arreptâ, *de origine Conciliorum generalium*, a quibus, & Canones ortum ducunt, & in quibus ipsi continentur, pauca attigimus; cum de his latius altero nostro in opusculo, jam manu exarato, praestituros fore, Divina ope, speramus; ac *de Theologicis disciplinis, Sacra Scriptura*, & *Divina Traditione*, e quibus veluti a duobus fontibus effluunt, verba fecimus. Si enim nunquam

Nulli licet ignorare Sacroscanones, ex quibus nedum quid tenere, & sequi edocemur, sed quid vitare, & fugere debeamus.

Nî saeviant fortunae procellae, se alterum opus editurum promittit Auctor.

nen

1. Leo Papa Epistola XII. ad Cler. & Pleb. Constantinop. & Celestinus Papa ad univers. Episcopos Apuliae, & Calabriae.

Digitized by Google

non errare noſtrâ refert, hîc pluri-
mi interfuit: neque enim, ut ſapien-
tiſſime inquit Divus Auguſtinus: *quiſ-
quam melior, aut felicior eſt, quod
praeter Deum alia noverit, aut igno-
ret*; hinc ſi quae in his parum ho-
norifica indicavimus, & praecipue
adverſus, & laxioris, & plus aequo
rigidioris Ethicae Chriſtianae culto-
res, qui maximo Chriſtianae Reipu-
blicae malo, tot falſas opiniones,
ſuadente tenebrarum principe, *qui
transfigurans ſe in Angelum lucis*,
ut inquit. 1. Paulus Apoſtolus, *falſa pro
veris ſuggerit ſaepe*, excogitarûnt; eum
induimus habitum, quem omnibus
praecipit idem Auguſtinus: *Diligite
homines, interficite errores: ſine ſu-
perbia de veritate praeſumite, ſine
ſaevitia pro veritate certate, rogate
pro eis, quos redarguitis*. Accipias
ergo, ſtudioſa Juventus, opuſculum
hoc meum, cui quando a negociis,
& valetudinis incommodis ocium, &
quies erat; quandove ab ſaevientis
fortunae procellis reſpirare potuimus,
dedimus operam: quod ſane opuſcu-
lum in lucem edi exoptavimus, non
ut

Laxior, & rigidior morum diſcipli-
na, veluti oppoſiti ſcopuli Scillae, & Ca-
ribdis declinandi.

1. Paulus Apoſtolus II. ad Corinth. cap. II.

Digitized by Google

ut immortalitatem aſſequamur, ſed ut ſaltem monumentum aliquod nobis paremus, unde Poſteri, aut meliora conentur, aut vixiſſe nos olim, non ignorent: ſciaſque quod ſcientiarum cognitionis, ad quam pervenimus, voluptas praeſtat, ut vitae hujus moleſtias aequiori animo feramus, & tranquillius hoc aevo degamus, qua in re hujuſce vitae beatitudinem eſſe, haut inſipienter veteres Philoſophi credidêre, ex quorum ſententia inquit *Poëta*.1.

Scientiarum voluptas aequiori animo perferri ſinit humanae vitae moleſtias,

Felix, qui rerum potuit cognoſcere cauſſas.

Felix utique eſt ſapiens, qui cum rerum cauſsas ſciat, quae vera eſt ſciētia, nihil timet ſaevientis Fortunae procellas.

Illud vero coronidis loco, haut inutile meminiſſe velim, quod de ſtudiorum ratione inquit Nicolaus Damaſcenus, Auguſto Caeſari aequalis, hiſce verbis latine verſis a viro undequaque doctiſſimo Ludovico-Antonio Muratorio: *Sicuti illi, qui longa itinera ingrediuntur, nonnullis in locis divertunt tantum, in aliis etiam prandent, quibuſdam aliquot impendunt dies, alia ſatis habent vidiſſe in tranſitu; ſed his peractis omnibus, reverſi, ſuam inhabi-*

Nicolai Damaſceni monitum latinis literis translatum a Ludovico-Antonio Muratorio.

1. Virgil. II. Georgicor.

Digitized by Google

bitant domum: non aliter per totum eruditionis ambitum, velut iter facientes, oportet aliis quidem in ſtudiis immorari diucius, in aliis minus; alia tota, alia ex parte diſcere, quorundam ſolis elementis eſſe contentos, eorumque ſuſceptis utilitatibus, ad Philoſophiam tanquam ad patrium larem reverti.

Satis itaque duximus uno hoc in libello, de ſcientiarum, artiumque generibus, earumque momentis, pro viribus noſtris, dixiſſe; digitumque ad fontes, ex quibus ingenio praeſtantes viri hauſerunt ſanae doctrinae latices, indicâſſe. Quod opus licet gravioribus hominibus dignum non ſit, rudibus ſaltem (ut in epiſtola, qua ne de tabula manum ſubtraherem, hortatus eſt affinis noſter Petrus Abundius Battilorius Guardiae Alpheriae Epiſcopus, vir ſane & in Canonica, & Civili juriſprudentia, nec non in literis politioribus ſatis verſatus, recte inquit, ad capiendum majoris operis incrementum, & quandam liberalium diſciplinarum imaginem, vitandumque inquirendi laborem, cum omnia ex plu-

Opus ſtudioſae Juventutis bono elaboratum, ut aſſequatur diſciplinarum imaginem, vitetque improbum inquirendi laborem.

Digitized by Google

pluribus ſtudiis collecta, complecti memoriâ non ſit) plurimum proderit; nam, ut Auguſtinus ait ad Licentium, quem hortabatur, ut ad muſas rediret, *Eruditio diſciplinarum liberalium, modeſta ſane, atque ſuccincta, & alacriores, & perſeverantiores, & comtiores exhibet amatores amplectendae veritatis, ut & ardentius appetant, & conſtantius inſequantur, & inhaereant poſtremo dulcius*. Quod vel Naſo indicaſſe videtur; cum inquit.

Divus Auguſtinus Licentiũ, ut ad Muſas rediret, hortatur.

Eruditio diſciplinarum, quibus ingenuae continẽtur, nedum plurima affert ſtudioſae Juventuti commoda, ſed earundem ſedulo ſtudio, nemo adeo ferus eſt qui non miteſcere poſſit.

. . . ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quod ſi *ſcituli* aliqui, qui *naſutiores* ſe faciunt, haut *rem novam* nos factitâſſe autument, ſciant; quod cum circa ſtudiorum rationem plurima ſcitu digna attuliſſet doctiſſimus Vicus, veluti ſimili querelae occurrens, ait, *quod Novitas proprium laudis argumentum non eſt; ridicula enim, & monſtra novitate cenſentur. Illud vero laude dignum, recte nova dixiſſe*. Quod, an a nobis praeſtitum ſit, rerum peritis judicium eſto.

Novitas haut proprium laudis eſt argumentum, niſi recte efferatur

Sed

Sed ô ſtupenda prorſus, nec unquam ſatis deploranda humani caecitas animi, en laborum noſtrorum gratia, *ſcituli* quidam variis artibus labores noſtros intercipere conantur!

Grandia ſaepe, quibus mandavimus hordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenae.
Pro molli viola, pro purpurea narciſſo
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Sed fruſtra, nam nos eorum aculeos nihil metuentes; noſcitabamus enim quod ſagax admonuerat Demipho Terentianus

... Omnes, cum ſecundae res ſunt maxume, tum maxume
Meditari ſecum oportet, quo pacto advorſam aerumnam ferant,

haut deterriti ſumus ab eo propoſito, quod ſtudioſae juventuti utile exiſtimabamus futurum; pluſque valuit apud nos doctrinae propagandae ſtudium, quam malignorum perverſitas. Quorundam vero prae ceteris, quorum nominibus pro nunc parco-

Conqueritur hîc Auctor quorundam Audaculorum protervitatem ac petulantiam.

Digitized by Google

parco, licet noſtro non pepercerint, inſignem petulantiam, & protervitatem, non ſatis mirati ſumus; quorum ſane exiſtimationem nunquam nos facto, dictove laeſimus; & tamen, quis crederet, ipſi dementati homunculi in nos, inque probatiſſimae famae Viros, & quod nefas eſt, in odium Rei literariae, inſulsâ olim, ac nigrae loliginis ſucco, manu exaratâ Epiſtolâ, in qua ſe, *ut pupillam oculi cuſtodiri, ac ſub umbra alarum, a Domino, protegi* exorabat auctor anonymus, per ſummam audaciam, ſunt moliti! Homines porro, de quibus in Deuteronomio .1. dicitur: *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent*. Ceterum ſi exuant, quod male induunt, nudatae inſtar corniculae riſum moveant. Et quanquam remaledicere utique liceat jure civili, & convicium convicio ulciſci, praecipue cum acerbitate non careat, ut ex Iaſone .2. colligitur, utque non

Inſulſa Anonymi epiſtola in probatae famae Viros, in qua poſt dira mendacia, a Domino protegi exorabat!

Convicium cõvicio propulſamus Jure civili, ſed non lege Jeſu Chriſti.

(C) ob-

1. Deuteron. XXXII.
2. Iaſon ad l. ut vim num. 20. ff. de Juſt. & Jur.

obſcure a Priſcis hocce adagio eſt, deſignatum Τὸν πέτηγα πτεροὺ μὴ ἐ'λκῦσε, eos tamen redargui per ſilentium, oportuit; cum alia patientiae propoſita nobis a JESU-CHRISTO lex ſit, quam ſequamur. 2. : *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; Sed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati ſumus, ut benedictionem hereditate poſſideamus.* Quam ſane legem ipſum omnium Salvatorem ſervâſſe legimus, cum de Cruce pendens, Patrem perſecutoribus ſuis, expoſtularet ignoſci. Quare cum hae querelae haut hunc repoſcant locum, nec ingenium, inſtitutumq; noſtrum verborum ſinat certare contumeliis, nec committendum ſit, ut quas ſcriptis defendimus Evangelicas doctrinas, factis prodamus; meminiſse velim id genus homines, quos iſthaec carpendi, calumniandique inſana coepit prurigo, ſi ad maledicendum, & calumniandum ſuo ferantur ingenio, noſtro nos, ad patiendum vocari. Neque nos illorum pol-

Cicadam alâ ne corripias.

Ingenii cordati viri non eſt certare cō viciis, aut contumeliis verborum, aut perturbari maledictis, ſed animo praeſenti atq; acri reſiſtere, cum id & naturalis ratio, & lex divina praecipiat.

1. I Petri III. IX.

Digitized by Google

pollemus ingenio, qui dum laboribus ſuis, pro laudibus convicium, pro commendatione dedecus, pro mercede criminationes, & poenas parari vident, ab incoeptis recedunt. Quantulumcunque ſit igitur ingenua, ac ſtudioſa Juventus, opuſculum hoc meum tibi uni elaboratum, ut abſque diuturno, & improbo inquirendi labore, diſciplinarum liberalium, quibus ingenuae continentur, quandam conſequaris imaginem, tibi probatum iri confidimus. Quod ſi in eo aliquid deprehendas, quod cordati Viri cenſurâ dignum, ſit, gratias tibi habuerimus maximas, & aeque tantas, vel ſi ab errore aliquo nos deduxeris. Non enim illi ſumus, qui ignoremus quantum poſt Adae peccatum, humana ratio caliget, atque rerum omnium ignorantiâ obvoluta, in praeceps ruat. Quotus enim quiſque eſt, qui non aliquando fallatur, niſi divino peculiari afflatu mentem, manumve ſcribentis regat Veritatis magiſter Deus Optimus Maximus? Hinc juſtam opprimere judiciorum libertatem,

Quoties in his, qui praeſunt ignorantia dominatur, poenas potius, quam premia literariis laboribus parari diſcimus.

Poſt Adae peccatum humana ratio, ignorantiae tenebris obcoecata, in praeceps ruit.

Exoptandum quammaxime, ut mentem, manumve nobis dirigat Deus.

tem, aut regnum in literis sibi affectare, nefas esse rati sumus. Hinc Artem Criticam, cujus ope, ac regulis in re literaria, vera a falsis, recta a pravis dijudicamus, omnium fere Artium, atque Scientiarum ita comitem esse debere, ut sine illa ad perfectionem vix, aut ne vix quidem adsurgere valeant homines, nemo est, qui ignoret. Improbanda vero quammaxime, quae cum satyra, atque obtrectatione confusa, nostris hisce temporibus apud quosdam *Audaculos*, & *Scitulos* molesto nomine traduci in triviis solet. Sed anxie optanti saepe mihi, undenam isthaec carpendi, obtrectandique libido, haec feliciter tandem occurrit ratio, nempe aucupanti laudem, nullus alius expeditior se offert modus, quam censorem agere, & potissimum in viros probos, & ingenio, & virtute praestantes: ubi enim *Scituli* in hisce Viris peccata deprehendisse sibi visi sunt, tum secum tacite, hilari vultu, ac veluti mussitantes congaudent, & gloriantur, quasi ingenio, & moribus praestantio-

Ars critica omnium Artium; atque scientiarum comes.

Critica, quae in satyrā degenerat, maxime improbanda.

Unde Audaculorum, ac Scitulorum obtrectandi prurigo?

Digitized by Google

tioribus polleant. Viciſſim vero *obtrectatio*, *& livor*, ut Tacitus ait; *pronis auribus excipiuntur*, & ab Auditoribus pleriſque amantur aliorum ludibria, utpote ambitioni noſtrae blandientia; depreſſis enim proceris arboribus, vel ipſa virgulta ſibi excreſcere confeſtim videntur. Sed

O vanas hominum mentes, o pectora coeca!

Quippe tantum abeſt obtrectantium maledictis deprimi viros praeſtantes, ut ſaepe videas illorum animos horum praedam, & veluti nexos fieri: porro ſapientes, *Scitulorum* animos pro arbitrio verſant, atque torquent, & cum lubet in aegritudinem conjiciunt. Nam ſimulatque ingenii robur, aliquo patefaciunt exemplo, quaſi compedes, & vincula illis injiciunt, atque horum ſervi fiunt, & adminiſtri perturbationum, quarum turbine correpti, poenas dant injuriarum antequam laeſerint. Sed ne *apertis*, ut ajunt, *tibiis invehi in quempiam* videamur, abeamus hinc, & ante omnia, ut in

Obtrectantium animi nexi fiunt, & praeda Sapientum.

Malum Turdus cacat ſibi.

Digitized by Google

Evangelio praecipitur, *quaerendum nobis est Regnum Dei*, ad quod ſtudium refertur in primis ſcientiarum illarum cognitio, quâ ad regnandum cum Deo aptiſſimi evadimus, inde eruditio animi, ſcientiarum ornamentum, atque humana ſapientia prae ceteris deligenda, ne qui ratione beſtiis praeſtamus, mirabili ignorantiâ nos ad illarum conditionem demittamus. Poſtremo hae diſciplinae comparandae, per quas humanae vitae incolumitas ſervari poſſit, nec non & honeſtâ frui voluptate poſſimus, quâ tranquillam, ac ſedatam vitam hoc aevo degamus. Ad hunc ordinem tum praeceptis ſuis Deus, tum ratio magiſtra, & natura nutrix, internâ quadam pulſatione nos in Veritatis veſtigatione ſervandum, quotidie impellunt, rapiuntque. Hinc ſapientiſſime inquit Auguſtinus: *Intelligere ſemper ſine vitio eſt. Intelligere magna, & honeſta, vel etiam divina, beatiſſimum eſt. Intelligere autem ſuperflua nihil nocet, ſed fortaſſe diſcere nocuit, cum*

Ea ſcientiarū cognitio praeceteris deligenda, qua ad regnandum cum Deo aptiſſimi evadimus.

Superflua didiciſſe quandoq; nocuit

1. Auguſt. lib. de util. credendi cap. II.

Digitized by Google

eum tempus neceſſarium occuparent. Hinc vitio nobis verti nequit, ut idem inquit ad Licentium, *Eruditio diſciplinarum liberalium, modeſta ſane, atque ſuccincta*; in omni enim vita adprime neceſſarium eſse duxerunt Viri ſapientes, *NE QVID NIMIS*. Quare magiſtros adeas oportet probatae vitae, ac ſanae doctrinae Viros, quos adiiſſe haut vos olim poeniteat; pravis enim impulſoribus, multos degeneraſſe compertum eſt; hinc abiit in proverbium: *Mali corvi, malum ovum*; quod & a Graecis ſummo ſtudio ſervatum meminit Alexander ab Alexandro; ut dum puerilis aetas prona eſſet ad vitia, magiſtros adhiberent probatiſsimos, magnae, & expertae virtutis, quorum convictu, & domeſticis diſciplinis, exempliſque formarentur. Sic Achilles Chirona, Agamemnon Neſtorem; Hector Polydamanta, Telemachus Menelaum, Alexander Ariſtotelem, Antigonus Zenonem, atque alii vitae magiſtros habuêre non poenitendos, ſicut Auguſtus Apollodorum, Tiberius Theodorum,

Eruditio diſciplinarū liberalium modeſta, atque ſuccincta.

Magiſtri deligendi, quos haut nos poenitebit adiiſſe.

Laudabilis nō ſatis Graecorum mos.

Digitized by Google

Homerus Prognopidem, Virgilius Silonem, Cicero Diodorum, qui illos egregiis artibus instructos, ad optimam Scientiarum frugem provexêre: quorum sane doctrinâ, integritate, & fide, magni postea viri evasêre.

Si aberrare nunquam nostrâ refert, hîc plurimi interest, ubi agitur de maximo Religionis negocio, ex quo salus aeterna unice pendet.

Sed cum maximum sit Religionis negocium, nihil hominibus cordi magis futurum esse debet, quam ea perspecta habere, quibus in summi Numinis Religione erudiamur, ac proinde dubium non est, quin omnem ad illius veritatem assequendam convertere debeamus cognitionem, & curam, ut ne cum totam humanae sapientiae vitam dederimus, id unum adhuc nobis superstit ediscendum, quod unice scire juvat, ac probe tenere necesse est. *Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ*, ut inquit Jacobus Apostolus, *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Memento tamen, quod *in animam malevolam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Reliquum est, ut ab hujusce opusculi lectione explosos velim

1. Jacobus Apostolus in Epist. sua cap. I.

lim, quos in convivium ſuum admiſiſſe poenituit Naſidienum apud Horatium, utpote,

Horat. lib. II. Satyrâ VIII. ver. XXXV.

Qui calices poſcunt majores. Vertere pallor
Tum Parochi faciem, nil ſic metuentis, ut acres
Potores: vel, quod male dicunt liberius: vel
Fervida quod ſubtile exurdant vina palatum.
Invertunt ALLIFANIS. I. vinaria tota
Vibidius, Balatroque . . . . . .
. . . .

Non ſatis tamen adhuc intellexi, cur Grammatici communi cenſeant ſuffragio ſub

Quod

Tò Allifanis intelligi *poculis*, ſive lagenis majoribus a loco ſic dictis: ut ſenſum horumce Horatii Carminum hunc eſſe velint: Vibidius, & Balatro paraſiti illi vehementes potores invertunt, ideſt evacuant, tota vinaria, ſupple vaſa, quibus vina allata ſunt, Allifanis poculis majoribus. Quippe, nî fallor, non opus eſt iſthoc ſupplemento *poculis*, cum ſatis perſpicue loqui videatur Poëta de Vino Allifano, quod maximo ſemper in precio fuiſſe, vel ex Silio Italico lib. XII. verſ. DXXVI. de Bello Punico, colligi poteſt

. . . . . *Aliifanus Iacchus*
Haut inamatus ager . . . . .

Hinc non injuriâ mallem carmina ſic eſſe efferenda: *Vibidius, & Balatro paraſiti illi, ac vehementes potores invertunt*, ideſt evacuant *tota vaſa vinaria*, *Allifanis*. Nec aliquid faceſſit negocii, Naſidieni convivium Romae non Allifis paratum; nam Allifanum vinum priſcis temporibus ſaepe ad Urbem Romam, ſub cujus Praefecti juriſdictione, utpote ex Samnii Provincia Alliſana Urbs erat, importatum fuiſſe legimus, hinc quondam epigraphe *de portorio*, ideſt vectigali vini exportandi gratiâ ab Allifanis minime ſolvendo.

Digitized by Google

Quod si injusi accedant, eos meminisse velim Martialis tetrastichon ad Aulum

Lector, & auditor nostros probat, Aule, libellos:
Sed quidam exactos esse Poëta negat.
Non nimium curo: nam coenae fercula nostrae
Malim convivis, quam placuisse coquis.

Dabam e Rure nostro apud Sanctum Petrum de Follisio Vallatae Pedemontii prope Allifas. Nonis Decembribus MDCCXXVII.

DE

Digitized by Google

DE CANONE STUDIORUM

DISSERTATIO.

INter maxima hominum mala, quae ex primi Parentis lapſu, vulnerata natura, veluti ſaniem quandam contagioſam miſere in ceteros derivavit, quippe, duo illa omnibus graviora cenſeri debent, ſumma caligo, ſive perpetua rerum omnium ignoratio, & effraenis cupiditas cuncta ſine modo ſciendi, ex quibus primum ingenii praecipitantia, & coeca judicandi temeritas, deinde error, atque haereſis defluxêre. Primi, inquam, Parentis lapſus quid effecerit, aut quid malorum attulerit, res ipſa declarat; ſiquidem quotquot ex eo deinceps progeniti ſunt homines, ignoran-

Adae Peccatum radix omnium malorum.

Praecipua quae ex primi Parentis lapſu, mala in nos miſere derivarûnt.

rantiae, & peccato obnoxii, nulloque subsidio fulti nasci coepêre; ut inde necessitate compulsi, nec nisi longo studio, & improbo labore, eam quâ exornatus ab Omnipotente Deo in deliciarum horto fuerat, rerum naturalium scientiam, Adamus, recuperare potuerint; nam ut Latinus Poëtarum Homerus, ait

. . . . . *labor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in
rebus egestas.

I. DE SCIENTIARUM ORIGINIBUS.

Hisce autem gradibus videntur esse progressi. Primo, admirati sunt plures effectus, ideſt eos attentius, & suspenso animo inspexerunt. Secundo ex admiratione orta est cupiditas causſas inveniendi: quae ubi fuerunt inventae, multis postea confirmatae sunt experimentis. Unde ignorantia, quae mater admirationis dicitur, ipsam admirationem peperit, ex qua diligens causſarum orta est inquisitio: tum inventio multiplici experientiâ confirmata. Neque id simul, eodemque tempore perfectum est; sed pedetentim, & quodam temporis lapsu. Quod enim ab iis, qui prae-

Ignorantia mater admirationis, ipsâ admiratione peperit.

1. Virgilius 1. Georgicor.

Digitized by Google

praeceſſerunt inventum eſt, id a ſequentibus elaboratum, ac tandem ad certam perfectionem perductum. Sic adumbrationis gratiâ meminiſſe ſat erit, Logica a Zenone Eleate Parmenedis Auditore, qui circiter quadringentis quinquaginta annis ante Chriſtum floruit, inventa perhibetur, ut teſtatur Diogenes Laërtius. Poſt Zenonem alii, praeſertim Peripatetici, & Stoici, Logicam excoluerunt, & novis obſervationibus, argumentis, & diſputationibus, perverſo quodam contradicendi ſtudio, adeo ſeſe dediderunt, ut Dialecticam artem non ad veſtigationem veri, ſed ad facilem tantum de omnibus diſputationem, viam aperire, & ſibi, & ceteris ſtuduerint. Quae mala logicae tractandae conſuetudo, cum per plura ſecula magis, magiſque irrepſiſſet, nec id vitii pati quiret; tandem exorti ſunt Viri praeſtantes, qui aliam viam iniverunt, demonſtraruntque Logicam, non ut artem loquendi philoſophicis vocabulis, ex eo quo conſtanter dictionario utebantur, hauſtis, & in quo vo-

Zeno Eleates Logicae adinventor.

Peripatetici, & Stoici Logicam adprime excoluerunt, noviſq; obſervationibus plus aequo auxerũt.

Logicae tractandae, excuſso malae cõſuetudinis jugo, ea methodus a viris praeſtantibus revocata eſt, qua ad rerum cognitionem facile pervenitur.

1. Diogenes Laertt. in praef.

voces etiam erant novae, queis sermo quotidianus destitui videbatur; sed quibus ad rerum cognitionem perveniri queat, tradi oportêre. Ceterum poëticae artis initium, veluti reliquarum pene disciplinarum, Hebraeis acceptum referre debemus; teste Eusebio.1. Post hos, auctore Porphyrione, Orpheus, & Linus primum Poëticae vacarunt: inde Hesiodus, & Homerus, quos subsecuti sunt Lyrici, & alii, qui eam facultatem excultam admodum, veluti per manus nobis tradiderunt.

Poëticae artis veluti cetera rũ initia disciplinarum liberalium Hebraeis accepta referre debemus.

Sed Franciscus Baconus, qui initio praeteriti seculi, scientiis promovendis maxime adlaboravit, duos conscripsit libros, ut doceret quibus modis eaedem ad summam usque perfectionem adduci possunt; prior inscribitur *de Augmentis Scientiarum*; alter in quo elaborando octodecim annos insudâsse perhibetur, *Novum Organum* appellavit. Verum haut scite magnus ille Angliae Cancellarius; nam omne quod homini scire datur, ut & ipse homo, finitum est, & imperfectum; ita ut omni

Franciscus Baconus sciẽtiis promovendis plurimum adlaboravit, ut testantur libri summâ industriâ a se conscripti.

Omne quod homini scire datur, ut ipse homo, finitum est & imperfectum.

1. Euseb. lib. II. de praepar. Evang.

Digitized by Google

omni jure, nihil verius, atque utilius rerum naturae cognoſcendae ſtudioſis rati ſunt Viri ſummi, quam quod hiſce verſibus comprehenditur,

Satis utile cō ſilium rerum naturae cognoſcēdae ſtudioſis, ab eximiis viris prolatum,

Qui curioſas poſtulat totum ſuae
Patere menti, ferre qui non ſufficit
Mediocritatis conſcientiam ſuae
Judex iniquus aeſtimator eſt malus,
Suique, naturaeque, nam rerum
Parens
Libanda tantum quae venit mortalibus,
Nos ſcire pauca; multa mirari jubet.
Magis quieſcet animus, errabit
minus
Contentus eruditione parabili,
Nec quaerat illam, ſi qua quaerentem fugit.
Neſcire quaedam magna pars ſapientiae eſt.

Quod ſane antiquos Philoſophantes, e quorum numero fuit Thales, Pittacus, Bias, Solo, Chleobolus, Myſo, Chilo, id adumbrare voluiſſe, viſum eſt Eruditis; cum facto

Sapientum effatum in Apollinis tẽpli foribus inſcultum.

&to concilio ex communi conſenſu; has Delphici Apollinis templo primitias ſapientiae dedicarûnt, nempe

NOSCE TEIPSUM, NE QUID NIMIS.

Mens itaque noſtra, praeſertim in ſupernaturalibus, certis debuit circumſcribi limitibus, ultra quos progredi, nefas eſt. Enimvero noſtri primi Parentes Adamus, & Eva, hinc ab ea, quâ ornati fuerant, rerum naturalium ſcientiâ repente exciderunt, quod nimium creduli, malo Genio morem geſſerint, ſic loquenti Geneſeos. 1. *In quocunque die comederitis ex eo*, fructu ſcilicet vetito, *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum*. Unde cum ad ſupernaturalem, divinamque ſcientiam aſpirarent, naturalem ſibiq; convenientem, amiſerunt:

Adamus, & Eva, cur ab ea quâ ornati fuerant, rerum naturalium ſcientia repẽte exciderint?

Multa etenim bene tecta latent, neſcitaque proſunt
Dum manſueta Fides quaedam dilata modeſte
Subſtinet: & nullo ignorat non edita damno.

pru-

1. Geneſ. cap. III. ver. v.

prudenter admonuit S. Proſper (1). Quod indicaſſe videtur Paulus Apoſtolus (2), cum ait: *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram Fidei.* Ex Adamo, ejuſque poſteris Scientiae derivatae ſunt uſque ad Diluvium Noëticum; ex Noëmo ejuſque filiis ad Homines poſtdiluvianos. Unde Sethi Nepotes, ſi Joſepho (3) credendum eſt: *Ne inventa ſua ex hominum notitiâ dilaberentur, cum Adamus generalem Mundi interitum, unum incendio, diluvio alterum praedixiſſet, duas excitaſſe columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam, & utrique ſua inventa inſculpſiſſe, ut ſi lateritia diluvio periret, ſuperſtes eſſet lapidea, quae hominibus diſcendi copiam faceret.* Quam ex his columnis, alteram, nempe lapideam, idem Joſephus uſque ad aetatem ſuam in Syria perſtitiſſe affirmat. De cetero ultra geminam hanc columnam lapideam,

Ultra deſcriptas a Joſepho colum-

(D)

(1) S. Proſper *Carm. de ingrat.*
(2) Paulus Apoſtolus *epiſt. ad Roman. cap. XII.*
(3) Joſeph *Antiq. lib. I. cap. III.*

Digitized by Google

nas; eximia ejus generis monimenta plurima in Aegypto extitisse perhibetur.

pideam, & lateritiam, eximia ejus generis monumenta quamplurima extabant olim in Aegypto, quae a Diodoro descripta sunt. Mirabiles inprimis fuêre subterranei quidam secessus prope Thebas Aegyptias, quos Syringes appellabant, magno labore excavati, Veteribus memorati, Ammiano praecipue, qui eorum parietibus Hieroglyficas literas inscultas fuisse perhibet, ante Diluvium a Viris, qui calamitatis hujus praescii, Priscorum rituum rationem ad posteritatis memoriam commendârunt. Lex a Deo in tabulis lapideis descripta est. Moses jubet Deuteronomium lapidibus inscribi. Inde cipporum, sive columnarum lapidearum usus ad sepulchra; non ut Servius inquit (1): *Mortuis nobilibus superpositarum ad ostendendum eorum columen*; sed excipiendis elogiis, cujusmodi vetustissimae duae memorantur a Diodoro ad Isidis, & Osiridis sepulchra sacris literis signatae. Memorabiles,

Unde Cipporum usus, sive columnarum lapidearū ad sepulchra.

(1) Servius in Aenead. VIII.

Digitized by Google

morabiles, & Roſtrata Duilii, & illae Appii Claudii, & nobiles illae Trajani, & Antonini. Hinc, & eae quibus foedera incidebantur: velut illa, cui leges foederis Romanos inter, & Latinos icti, Servius Tullius impreſſit. Ceterum Jus, quod ex illius Urbis Sapientibus, ex qua omnis fluxit humanitas, & morum, atque ſermonis elegantia, acceperunt Decemviri; quodque cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem ſane concinnatam, tum propter ſummam aequitatem, atque prudentiam, rerumque pondus, & majeſtatem, univerſam continere ſapientiam, ac omnium Philoſophorum doctrinâ gravitate ſuperare putabatur; ad omnium notitiam, & utilitatem aeneis inciſum tabulis fuit, & in foro, juſſu populi collocatum. Quem morem incidendarum legum deſcendere a Corybantibus ex Theopompo refert eruditiſſimus Gravina ſuis in opuſculis cedro dignis. Et ut idem adnotavit, Solon in ligneis incidit tabulis, quas ἀξονας καὶ κύρβεις appellârunt;

Jus quod ab Athenarum Sapientibus acceperunt Decemviri, mirâ verborum proprietate, ac brevitate concinnatum; ad omnium notitiam, & utilitatem aeneis inciſum tabulis, juſſu Populi in Foro collocatum eſt.

runt; cum, ut ex Aristotele in problematibus constat, ante tabularum usum ediscerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriae mandarent. Hinc haut temere suspicatur vir undequaque doctissimus Huëtius (1), doctriam Mosen de principiis rerum, ipsiusque leges, cum pro veris, & aequis haberent Aegyptii, & apud se ratas esse vellent, in columnis ligneis, vel lapideis descriptas publice proposuisse; atque his columnis ad Philosophiam, velut Magistris usos fuisse Pythagoram, Platonem, & alios.

Mosis columnis ad Philosophiam, velut magistris usi fuêre Pythagoras, Plato, & alii.

Sed post Noëmi Cataclysmum, quo nempe perpetuis quadraginta dierum imbribus, totiusque Terrae eluvione, flagrans ubique hominum libido fuit restincta; aucto hominum numero, de discessu in varias Terrae Regiones cogitatum est. Sed prius Turris *Babel*, sive *Confusionis*, audaci mortalium conatu inchoata, potentiori Dei nutu fuit interrupta. Quippe ibi, ut in Genesi (2) ha-

Quadraginta dierum imbribus, totiusque terrae eluvione, restincta flagrans ubique Mortalium libido.

Turris Babylonia audaci hominum conatu incoepta potentiori Dei nutu interrupta.

(1) Huëtius *prop. IV. dem. Evang. cap. II. §. XV.*
(2) Genes. *cap. XI.*

Digitized by Google

habetur: *Confuſum eſt labium univerſae terrae*, & lingua communis in plures diviſa: adeo ut ſublato quo inter ſe devinciebantur ſermonis commercio, alii in alias terras commigrare ſint coacti. Hinc, ut Joſephus (1) auctor eſt, tot linguarum, quibus nunc & jam homines utuntur, varietatis origo, ut quot Orbis regiones ſint, totidem hominum linguae numerentur. Sed ex natis nationibus, nonnulli Hebraeorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum; aliorumque, excuſsâ ceterorum ſocordiâ, rerum pulcherrimarum admiratione commoti, & frequenti effectuum ſingularium obſervatione, quae experientia dicitur edocti, ſcientias a fundamentis inſtaurare omni ope, ac ſtudio ſunt adgreſſi; hinc Aegyptiis inter primos eminet Mercurius, Moſis cooevus, intimus Conſiliarius, & ſacer Scriba, ſi Diodorum Siculum (2) audimus; qui Triſmegiſtus, hoc eſt ter maximus nuncupatus;

Lingua communis in plures diviſa.

Ingenti, ac docili ſolertiâ ſcientiae a fundamentis inſtauratae. Aegyptiis inter primos effulſit Mercurius Triſmegiſtus.

(1) Joſephus in *I. Antiquit.*
(2) Diod. Sicul. *lib. I.*

patus, quod maximus Philosophus; maximus Sacerdos, maximus Rex extiterit; nam, ut scribit Divinus Plato (1): *Mos erat Aegyptiis ex Philosophis Sacerdotes, & ex Sacerdotibus Reges eligere.*

Mos apud Aegyptios eligendorum Sacerdotum, Regumve.

Inter Chaldeos, seu Babylonios Zoroastres veritatis interpres.

Inter Chaldaeos, seu Babylonios praeluxit Zoroastres, quem primum Magicas artes invenisse, & Mundi principia, syderumque motus diligentissime tractasse scribit Justinus (2). Hanc autem Zoroastris Magiam non praestigiatricem illam γοητείαν intelligi volunt Veterum peritissimi, sed Dei cultum, & divinarum rerum scientiam sic visum locupleti auctori Platoni (3), quem itidem, ut Pythagoram, Empedoclem, & Democritum ad eam comparandam, navigasse, exilils verius, quam peregrinationibus susceptis, docet Plinius (4). Multus est in Magica arte tuenda Apulejus (5), quem si cui consulere

Quid Zoroastri Magiam intelligi velint Veterum doctissimi.

(1) Plat. *Dial. XI.*
(2) Just. *lib. I. cap. I.*
(3) Plat. *Alcib. I.*
(4) Plin. *lib. XXX. cap. I.*
(5) Apul. *Apol. I.*

Digitized by Google

ſulere vacat, is Magiam Zoroaſtris intelliget *eſſe Diis immortalibus acceptam, colendi eos, ac venerandi pergnaram, piam ſcilicet, & diviniſcentem, jam inde a Zoroaſtre nobilem, coelitum Antiſtitem*: & *Magum* Perſarum linguâ nihil aliud, quam Sacerdotem ſonare. Itaque tractu temporis nedum apud Babylonios, & Aegyptios ſui fuêre veritatis interpretes, & Doctores, qui Chaldaei, & Hierophantae ſunt appellati; ſed ceteris quoque nationibus extiterunt viri ingenio, & rerum naturalium cognitione praecellentes; Hebraeis quidem Rabbini; Graecis Poëtæ inde Sapientes, qui poſtea Philoſophi ſunt appellati; Romanis Pontifices, & Juriſconſulti, qui erant legum cuſtodes, & Juſtitiae Sacerdotes; Perſis Magi; Indis Brachmanes, ſeu Gymnoſophiſtae; Britannis, & Celtis, ſive Gallis Druides literis, artibuſque nobilioribus exculti; Phaenicibus, qui praecipue literarum gloriâ floruerunt, quique & literas vocum adjutrices inveniſſe perhibentur, aliiſque na-

Singulis Nationibus ſui fuêre Interpretes, & Doctores.

Sciptores non pauci, non modo doctrinas omnes, ſed literas quoque vo-

cum subsidia invenisse Phoenices perhibent.

tionibus, ad quas vel novarum sedium cupidi, vel mercium caussâ navigârunt, tradidisse, Orchus; Thracibus Zamolsis, Scytharum legislator, & Orpheus; Lybicis, Athlas. Quantum vero in extremis Orientis oris in disciplinis olim Sinenses praecesserint, nostra etiam tempora testantur; enimvero apud eos maximo in precio fuit Confucius, Pythagorae fere aequalis, utpote qui quingentis quinquaginta, & amplius annis ante Christum, Cyro Persis imperante, ut vulgo creditur, natus. Divina quippe ingenia, praestantissimos Philosophos omnium disciplinarum ad miraculum usque peritos ex numero, & pondere antiqua aetas tulit, ne exceptis quidem Scythis qui admirabilem virum Anacharsim dedêre nobis; pauci, aut nulli populi in vastissimo Asiae Sinu possunt numerari, apud quos olim Scientiae non fuerint excultae. Immo ex ipsis Barbaris, ut testis antiquitatis satis idoneus inquit Megastenes apud Eusebium, & Clementem Alexandri-

Confucius Pythagorae coaevus apud Sinenses non minus morũ doctrinâ, quã nobilitate generis praeclarus.

Divina ingenia, Virosque eximios, omnium disciplinarum genere praestãtes omnis Aetas tulit.

Digitized by Google

drinum (1) in Europam fluxit quidquid Scientiarum in veteribus Graecis, & Latinis ad miraculum uſque demiratus eſt Orbis. Hinc humana ſapientia vel ipſiſmet Graecis fatentibus, qui ſe per ſummam audaciam, ſapientes praedicabant, originem ducit a Barbaris, quos eam ab Hebraeis accepiſſe, non dubium eſt; Hebraeis autem, utpote quem ſibi populum Deus olim habuit electum, per Abrahamum primo, deinde per Moyſem interpretem tradita, ſicut & Lex divinis promta fuerat oraculis, eorumque regimen conſtitutum, quod Joſephus Θεοκρατίαν recte appellavit. Abrahamus autem, & Moyſes, aliique Hebraeorum Patriarchae ac Duces, nemo inficias ibit, quin rerum naturalium ſcientiâ fuerint informati, non ſecus, ac Salomon Judaeorum Rex, qui ut ſacrae literae (2) teſtantur, *diſputavit ſupra lignis a Cedro, quae eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quae*

Humanae ſapientiae origo, & progreſſus.

Judaeorū regimen, Theocratia recte a Joſepho appellatum.

Hebraeorum Patriarchae, & Duces rerum naturalium ſcientiâ informati.

(1) Clemens Alexandr. *lib. I. Stromat.*
(2) Regum *lib. III. cap. IV.*

quae egreditur de pariete ; & disseruit de jumentis , & volucribus , & reptilibus , & piscibus .

De cetero non arbitror diu mihi elaborandum , ut ostendam apud Jones quoque , & Etruscos fuisse olim scientiae naturalis , liberaliumque artium studium , cum apud omnes constet , ut ad rem appositè advertit Johannes Baptista Vicus , Vir aetate nostrâ , reconditâ literaturâ clarus (1) , in illis Italicam Philosophorum sectam , & quidem doctissimam , praestantissimamque floruisse . Etruscos autem eruditissimam gentem fuisse , magnificorum doctrina sacrorum , quâ praestabat , ut idem inquit , confirmat ; nam ut ex Valerio Maximo tradit Neapolitanae Urbis ac omnigenae literaturae decus , Alexander ab Alexandro (2) ; Romae ut augurandi scientia , & ars innotesceret , Optimatum filios sex , Etruriae populis , ex decreto Senatûs percipiendae sacrorum

Jones , atque Etrusci olim scientiarum cultores .

Etruscâ disciplinâ quomodo Romani filios suos instituerent .

(1) Vicus in *proœmio de antiqu. Ital. sapient.*
(2) Alexand. ab Alex. *lib. V. Genial. dier. cap. XIX.*

Digitized by Google

rum disciplinae gratiâ tradi oportebat. Hinc ab Etruscis religiones Deorum, & cum iis locutiones etiam sacras & pontificia verba Romanos accepisse constat. Literas quoque, quas olim Etrusci habebant, primum, mox Graecas, & haut multo post circumscriptas sententias, quas *Chryas* Graeci vocant: deinde studia liberalia, & animi cultum non solum pueri ingenui, sed & virgines Romanae nondum adultae ediscebant. Sed ejusdem Vici judicio, Architectura ceterarum simplicissima Etruscarum, grave argumentum praebet eos in Geometria Graecis priores fuisse. Viros igitur omnium scientiarum laude praecellentes, atque admirabiles omni aevo viguerunt; qui sane nisi lucem praetulissent, haut nobis tanta nunc esset literarum eminentia; vix enim ac ne vix quidem aliquod est bene cogitatum, aut egregie dictum, cujus prima semina non sparserint Veteres; sic ab Homero, qui omnium unus instar est, non modo Poëtarum lingua enata est, sed ab eo sum-

Architectura Etruscorū, argumentum in Geometria Graecis praeluxisse.

Ex Veterum ingenio praecellētibus viris, omnium scientiarū lumina ad nos transmissa.

ſummi Oratores, Philoſophi, atque Hiſtorici omnes ſumsêre ſententiarum lumina, & dicendi colores, atque formas, ut is eloquentiae, ac ſapientiae univerſae commune fuerit elementum non injuriâ appellatus; quare vel ipſum Platonem, quem prae ingenii ſublimitate divinum cognominavit Antiquitas, omnium Homeri ſtudioſiſſimum imitatorem fuiſſe, atque ab Homericis laticibus ad ſe deductos rivos quamplurimos tranſtuliſſe, teſtatur Dionyſius Longinus. Ceterum, ne longius excurramus, unde Cartheſius ſuae Philoſophiae fundamentum, quod in dubitatione conſtituit, deſumſit, niſi ex Plauti Amphytruone? Sic enim inquit relatus Johannes Baptiſta Vicus, cujus verba hîc adferre non pigebit: *Sed nullo ſane pacto, quis poteſt non eſſe conſcius, quod cogitet, & ex cogitandi conſcientiâ colligere certo, quod ſit. Quare primum verum aperit id eſſe Renatus*: Cogito: ergo ſum. *Et vero Plautinus Soſia non aliter, ac a genio fallaci Cartheſii, aut a ſomnio divinitus*

Plato ex Homericis laticibus quamplurimos ad ſe tranſtulit rivulos.

Cogito: ergo ſum Cartheſii, judicio Vici ex Plautino Soſia deſumtũ.

nitus immiſſo Stoici, a Mercurio; qui ipſius imaginem ſumſerat, in dubium de ſe ipſo adductus, an ſit, ad idem inſtar meditabundus huic primo vero acquieſcit.

Certe Aedepol quom illum contemplo, & formam agnoſco meam,
Quemadmodum ego ſaepe in ſpeculum inſpexi, nimis ſimilis eſt mei.
Itidem habet petaſum, ac veſtitum, tam conſimile 'ſt atque ego:
Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, dens, labra,
Malae, mentum, barba, collum: totus quid verbis opu 'ſt.
Si tergum cicatricoſum, nihil hoc ſimili eſt ſimilius.
Sed quom Cogito, equidem certo ſum, *ac ſemper fui.*

II. DE ORIGINE LINGUAE LATINAE, PROGRESSU, ET INTERITU.

Romani ad Pyrrhi uſque tempora, nõniſi rei ruſticae & bellicae operam dediderunt.

Sed ad Romanos divertamus, qui cum ad Pyrri uſque tempora nulli rei praeterquam ruſticae, & bellicae operam dediſſent, ut hiſtoria teſtatur, principio nonniſi ruſticanâ linguâ locutos, liquido conſtat; ſed mox, acceptis ab Jonibus, & Etruſcis, aliiſque ſapientiſſimis nationibus, doctis latinae linguae originibus,

bus, eam excoluerunt quammaxime, atque armis, & commercio simul cum imperio in omnes fere Orbis terrarum regiones disseminarûnt, sparsis ac continuatis saepe Coloniis, praecipue vero propagarûnt, & conservarûnt legibus, atque judiciis; *hinc Magistratus prisci*, ut inquit Valerius Maximus, *quantopere suam, Populique Romani majestatem retinentes se gesserint, cognosci potest, quod inter cetera obtinendae gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis unquam nisi latine responsa darent, sed per interpretem loqui cogebant, non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia & Asia; quo scilicet latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. C. Marius graecas literas discere noluit; credo ne alienigenâ ingenii exercitatione, patrii ritus servus transfuga existeret.* Hinc & Tiberius Caesar, ut inquit Tranquillus (1), *Sermone*,

Latina lingua propagata, & conservata praecipue legibus, judiciisque.

Magistratûs religio in sua, Populique Romani majestate servanda.

Tiberius Caesar in latino sermone studiosissimus.

(1) Tranquillus *lib. LXXI.*

mone graeco, quamquam alias promtus, & facilis, non tamen uſquequaque uſus eſt. Militem quoque Graece teſtimonium interrogatum, niſi latine reſpondere vetuit. Hinc Romanis tanta religio fuit in ſolemnibus formulis ſervandis, ut quiſquis ſive eas, aut verba civilia peregrinâ linguâ corrumperet, is neque contrahebat obligationem jure civili, neque diſſolvebat, nec heredem recte inſtituebat; in ſolis fideicommiſſis, utpote non ex jure civili, ſed ex moribus deſcendentibus, relaxata eſt ſeveritas Juris civilis; ceteri vero actus legitimi, qui ex ſolemnibus verbis peragebantur, nempe emancipatio, aut acceptilatio; hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, ſervi liberatio, latinis praeſcriptiſque formulis exprimebantur; brevi igitur ſpacio, ut inquit Laurentius Valla Canonicus Lateranenſis, & acutus Romani ſermonis cenſor, Romani latinam linguam celebrem, & nedum Urbis, ſed quaſi totius Orbis reginam effecerunt, &; veluti optimam quandam

Romanorum ſeveritas in ſolenibus formulis ſervandis.

Demto fideicommiſſo, ceteros actus legitimos latinis, praeſcriptiſque formulis exprimi oportebat.

Romani ſermoni amplitudo.

dam frugem Mortalibus ad faciendam sementem praebuerunt ; haec enim Gentes, Populosque omnes omnibus artibus instituit, quae liberales vocantur ; haec optimas leges edocuit ; haec denique praestitit, ne barbari amplius dici possimus.

Gentes, pene omnes latinâ linguâ ad liberales disciplinas institutae.

Non est autem ut a lectoribus veniam petamus, si ab Scientiarum originibus ad linguam latinam digressi sumus ; cum enim id unum praecipue nobis in animo fuerit ; nempe veluti digito ostendere studiosae Juventuti puriores sapientiae fontes, non temere ab ea lingua exordiendum fuit ; ex qua recondi-

Cur a latina lingua exordiendum fuit?

tae eruditionis latices emanant, ut Etymologica testatum faciunt. Quibus accedit quod eâdemmet linguâ liberales disciplinae, de quibus nos dicturi sumus, & pene omnes, quibus ingenuae continentur, fuerint propagatae.

Latinitas itaque, ut placet Maximo Victorino (1) nihil est aliud, quam *observatio incorrupte loquendi*

Quid latinitas?

(1) Maximus Victorinus *lib. de Re Grammatica.*

Digitized by Google

di ſecundum Romanam linguam. Quare eam non Grammaticis dumtaxat praeceptionibus, quae linguae ſunt elementa; ſed etiam optimorum Scriptorum conſuetudine, comparemus oportet; vere enim, & praeclare inquit Quinctilianus: *aliud eſt grammatice, aliud latine loqui.* Ex hoc igitur liquido conſtat latinam linguam non Paedagogorum beneficio, ſed bonorum Scriptorum longâ conſuetudine, ac diligenti imitatione maxime comparari; & ſane: *Cum ex infantibus*, ut de Rhetoricis praeceptis divinitus ſcripſit Auguſtinus (1), *loquentes non fiant, niſi locutiones diſcendo loquentium; cur eloquentes fieri non poſſunt, nullâ eloquendi arte traditâ, ſed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum adſequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipſis quoque experimur exemplis? Nam ſine praeceptis Rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt.* Non tamen

Quomodo comparatur, & quid diſcriminis grammaticam inter & latinam locutionem?

(1) Auguſtinus *lib. IV. de Doctr. Chriſt. in princ.*

Digitized by Google

dam frugem Mortalibus ad faciendam ſementem praebuerunt ; haec enim Gentes, Populoſque omnes omnibus artibus inſtituit, quae liberales vocantur ; haec optimas leges edocuit ; haec denique praeſtitit, ne barbari amplius dici poſſimus.

Gentes, pene omnes latinâ linguâ ad liberales diſciplinas inſtitutae.

Non eſt autem ut a lectoribus veniam petamus, ſi ab Scientiarum originibus ad linguam latinam digreſſi ſumus ; cum enim id unum praecipue nobis in animo fuerit, nempe veluti digito oſtendere ſtudioſae Juventuti puriores ſapientiae fontes, non temere ab ea lingua exordiendum fuit, ex qua recondi-

Cur a latina lingua exordiendum fuit?

tae eruditionis latices emanant, ut Etymologica teſtatum faciunt. Quibus accedit quod eâdemmet linguâ liberales diſciplinae, de quibus nos dicturi ſumus, & pene omnes, quibus ingenuae continentur, fuerint propagatae.

Latinitas itaque, ut placet Maximo Victorino (1) nihil eſt aliud, quam *obſervatio incorrupte loquendi*

Quid latinitas?

(1) Maximus Victorinus *lib. de Re Grammatica.*

di ſecundum Romanam linguam. Quare eam non Grammaticis dumtaxat praeceptionibus, quae linguae ſunt elementa; ſed etiam optimorum Scriptorum conſuetudine, comparemus oportet; vere enim, & praeclare inquit Quinctilianus: *aliud eſt grammatice, aliud latine loqui.* Ex hoc igitur liquido conſtat latinam linguam non Paedagogorum beneficio, ſed bonorum Scriptorum longâ conſuetudine, ac diligenti imitatione maxime comparari; & ſane: *Cum ex infantibus*, ut de Rhetoricis praeceptis divinitus ſcripſit Auguſtinus (1), *loquentes non fiant, niſi locutiones diſcendo loquentium; cur eloquentes fieri non poſſunt, nullâ eloquendi arte traditâ, ſed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum adſequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipſis quoque experimur exemplis? Nam ſine praeceptis Rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt.* Non tamen

Quomodo comparatur, & quid diſcriminis grammaticam inter & latinam locutionem?

(1) Auguſtinus *lib. IV. de Doctr. Chriſt. in princ.*

men inficias iverim, quin poterit quis juxta Grammaticorum regulas loqui; non latine tamen; enimvero Grammatici conſtruunt, quae Latini invertunt: hi omittunt, quae illi ſupplent. Illi detrahunt, quae ab his adduntur. Poſtremo Grammatici in id ſtudent, ut oratio recta ſit, Latini ut elegans. Adferat lucem dictis exemplum. Latine loquitur Simo Terentianus (1).

Quid Grammatici, quidve Latini in conſtruendo agant?

Vos iſthaec intro auferte: abite, Soſia,
Adeſdum: paucis te volo.....

Grammatici ad faſtidium uſque & odium, haec ipſa ita enarrarent: *O ſervi auferte iſthaec negocia intro, & vos abite iter hinc. O Soſia ades huc, nam ego volo adloqui te cum paucis verbis.* Videte quaeſo, diſſerebat fidus latini ſermonis cuſtos Johannes Baptiſta Vicus, in hac Grammaticorum oratione omnem Terentiani ſermonis, ſive latinae elegantiae venerem diffugiſſe, & verbis inutilibus, & laſſas aures one-

Exoſa Grammaticorum conſtructio.

(1) Simo Terentianus *act I. ſc. I.*

Digitized by Google

onerantibus ſententiam impediri; quae latinâ brevitate jam facilis captu erat; & particulam illam *dum* Graecis πρείλλου, detrahi quae genium latinae linguae exprimit, quoties cum gratia volumus imperium mitigare! Habet igitur, ut quaevis alia lingua, ita & latina nativam quandam venerem, quam Peregrini etſi inter Cives diu verſati perdifficile adſequi poſſunt. Quis enim ignorat Theophraſto acticiſſanti, utpote in Graecia diu verſato, vetulae mulierculae objectum: *Hoſpes non vendo tanti?* notans illum quaſi non eſſet Acticus naturâ, qui ſupra modum affectaret Acticiſmum. Id namque ſolent hoſpites, dum in aliena lingua volunt videri diſerti. Hinc & in Virgilio, qui ob incorruptam, & nativam quandam Romani ſermonis integritatem, in media Urbe ſe natum oſtendit illâ ſuâ regiâ phraſi ipſius Apollinîs ore dignâ, *Mantuanitatem*; & in Propertio, qui ob elegantiam latini ſermonis, ſe Romanum Callimachum vocare auſus eſt, quaedam *Transmarina* in-

Linguae latinae genium.

Ineſt linguis color praecipuus, & nitor, ac nativus lepor, quos perdifficile adſequimur.

Mantuanitas objecta Virgilio.

Transmarina Propertio.

esse, Critici censuêre. Quinvero & *Patavinitas* Livio objecta ab Asinio Pollione, ut Quinctilianus (1) testatur, idest sermonis quaedam peregrinitas, non tam in verbis, quam in stylo toto: *Quam nos sane*, ut inquit Vives (2), *vix*, *ac ne vix quidem gustamus*. Si igitur Asinius vel Livium *Patavinitatem* dixit sapere, qui lacteâ quâdam ubertate dictionis divinitus facundior fuit multis Romae natis, & fortassis ipso Pollione, quanto difficilius nobis est opus hanc sermonis venerem adsequi, cum latina lingua prorsus intermortua est? Haut enim nos fugit linguae latinae colorem praecipuum, & nitorem peregrino linguarum ingenio labefactatos, ac pene corruptos fuisse; ingenuumque illum eloquentiae florem, Barbarorum incendiis exaruisse. Quare cum latina, quâ loquimur lingua a Romanis olim rerum dominis profecta sit, praecipue vero propagata, & con-

Patavinitas Livio.

Peregrino linguarū ingenio labefactata est latinae linguae Urbanitas, & extincta penitus Barbarorum eluvione.

(1) Quintil. *lib. I. cap. V.*
(2) Vives *De trad. discipl.*

Digitized by Google

& conſervata legibus, atque judiciis, enixe nobis danda eſt opera, ut quam minimum abſimus ab ſermonis Romani formulis, quas optimi ejus linguae Scriptores praeſcripſerunt; & ut recta eorundem animi ſenſa venemur, Romanae Reipublicae hiſtoriam, ac Romanorum leges teneamus, neceſſe eſt. Hinc, ut non ſine exemplorum appoſitione procedere videamur, trita quaedam ſeligamus, inter quae ſit illud Perſii (1).

Quid, ut latinam linguã comparemus, Scriptorumque animi ſenſa veneremur.

. . . . hea ſteriles viri, quibus
una quiritem
Vertigo facit! . . . . . .

Et paullo poſt:

Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. . . . . .

Et infra:

Vindictâ poſtquam meus a Praetore receſſi,
Cur mihi non liceat, juſſit quod cumque voluntas,

(1) Perſius ſatyra V.

Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?

Item & illud Juvenalis (1):

. . . . . pulsandum vertice raso
Praebebis quandoque caput . . . .

Et hoc Martialis (2) in *Proculinam*:

Quod nubis Proculina Concubino,
Et moechum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare possit:
Non nubis Proculina, sed fateris.

Haec & alia sexcenta reperies, in quibus non est facile aestimare quae tandem fuerit Auctoris mens, quive sensus verborum existat; quae sane si de veterum Romanorum ritibus, moribus, & legibus nobis constaret, manifesta, apertaque fierent. Quippe ut palam fiant ea Persii, & Juvenalis carmina, nosse oporteret, tres olim modos manumittendi servos apud Romanos fuisse, ut ostendit argumentatio Ciceronis in *Topicis*: *Censu*, *Vindictâ*, *Te-*

Tres olim servos manumittendi modi apud Romanos.

(1) Juvenalis *satyra V.*
(2) Martialis *lib. VI. Epigr. XXIII.*

Digitized by Google

Teſtamento. Manumiſſio *Vindicta* fiebat hoc modo, nempe ut qui ex ſervitute in libertatem vocabatur, *raſo capite* ad Praetorem itaret, apud quem bis terque caput percuſſus, vel per lictorem percuti juſſus, virgulâ quae vindicta dicta eſt, aut feſtucâ in eum jactâ, cum teneret Dominus manumittendum dexterâ prehenſum, dicebatque, *hunc hominem liberum eſſe volo*, & cum dicto in orbem rotabat, & e manu mittebat; quaſi ſignificans licêre illi abeundi quo vellet; acceptoque pileo in Templo Feroniae libertorum Deae, ſervituti eximebatur. Quo pertinet illud Plauti (1) in *Amphytruone*:

Quid manumiſſio vindicta?

. . . . *Quod ille faciat Juppiter,*
Ut ego hodie raſo capite calvus
capiam pileum.

Quo genere manumiſſionis libertatem una, & Civitatem Romanam adſequebatur: ſcilicet a Vindicio Vitelliorum, ſeu Aquiliorum ſervo, cujus indicio, detectâ conjuratione

Eo manumiſſionis genere Vindicius primus libertate, & Civitate donatus eſt.

(1) Plautus in *Amphytruone* act. 1. ſc. 1.

nobilium Adoleſcentium de Tarquiniis reducendis pro opprimendis Conſulibus, ut teſtatur Livius (1), primus dicitur libertate, & Civitate donatus. Ceterum cum Juvenalis eâ ſatyrâ invehatur in eos, qui potentioribus tam ſerviliter famulantur, non illepide cenſuit, debere eos, ut tandem ſeſe in libertatem vindicent, & durum ſervitutis jugum e collo diſcutiant, caput, *raſo vertice*, Praetori pulſandum praebere, ne majora mox patiantur flagra.

Quae Juvenalis mens?

Sed lepidum Martialis epigramma, ſic exponunt Grammatici: *Proculina adulterum habuerat, cui nupſit metu legis Juliae adverſus adulteros latae. Non nubit, ideſt non accipit virum, quia antea habebat, ſed fatetur, ſcilicet cum hoc, quo ante nuptias fruebatur fuiſſe moecham.* Cui ſimile eſt & illud aliud ejuſdem Martialis (2) ad Paullam

Moechus erat: poteras tamen hoc tu Paulla negare.

Curta Grammaticorū explanatio de Epigrammate in Proculinam.

Ec-

(1) Livius *Decad. I. lib. II.*
(2) Martialis *lib. I. Epigramm. LXX.*

Digitized by Google

Ecce Vir eſt: nunquid Paulla negare potes?

Neque ſatis perſpicere queo, inquit Alexander ab Alexandro, *in quo ſe adulteram fateatur Proculina, cum legibus inhibitam conſuetudinem reliquerit & legitimo potius conjugio copulari voluerit: quinimmo ubi prius moechando deliquiſſet, nunc veniâ digna foret, quae explosâ peſsimâ vitae conſuetudine, ad legitimum matrimonium convolavit.* Et tamen non dilui poenam Poëta inquit, ſed plus negocii habere: quippe cum crimen illam fateri certum ſit, legis Juliae perinde ream afficit, & ſupplicio dignam cenſet, ac ſi reatum ſuum, & adulterium fateatur? Neque quis dicat Proculinam, in crimen, ſuſpicionemque venire jam fuiſſe moechatam; hâcce de cauſsâ, quod concubinum virum duxit, ac propterea ſuſpicione procul ſublatâ, rem palam apertâ profeſſione efficere, & reatum ſuum fateri, quippe quae ortam adulterii ſuſpicionem nuptiis confirmarît; ac propterea lege Juliâ de adulteriis

Alexandri ab Alexandro haesitatio in Proculinae negocio.

Lex Julia de Adulteriis.

Digitized by Google

riis affici, quâ cautum eſt, ut ſiqua mulier cum aliquo moecharetur, eumque poſtea conjugali nexu virum duxiſſet, ſive veteris conſuetudinis inhoneſtae, ſive criminis pertaeſa, non ideo adulterii crimen dilui, vel extingui velamento matrimonii, ſed tamquam confeſſam adulterii, poenam legis in eam exercendam oportêre. Nam haut putandum eſt Poëtam tam inconſiderate locutum, ut lepidiſſimum hoc epigramma unicâ tantum ſpecie, abſtruſo & recondito ſignificatu concludere maluerit, ut de ea ſolum loqui cenſeatur, quae adulterii ſuſpicione flagravit, non quae palam adulterata fuit, & praecipue cum hoc proprium ſit Martiali, ut nullâ circumlocutione uſus, ſimpliciſſimis verbis jocos ſuos admodum venuſte proſequatur, ut ex altero ipſius Epigrammate *De Theleſina* (1), colligere eſt.

Martialis proprium eſt nullâ circumlocutione uti.

Julia lex populis ex quo, Fauſtine, renata eſt,

At-

(1) Martial. *lib. VI. epigramm. VIII.*

Atque intrare domos jussa pudicitia:
Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est:
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quae nubit toties, non nubit: adultera lege est,
Offendor moechâ simpliciore minus.

Quare, nisi ad legem Juliam recurramus, cujus capita multa fuisse constat, & legem Juliam a lege Julia distinguamus, quas multiplices fuisse liquet non unis latas temporibus, ut ibidem advertit relatus Alexander ab Alexandro, haut facili negocio Poëtae sensum feliciter expiscabimur.

Multa capita legis Juliae ex Brissonio.

Multiplices leges Juliae non eodem tempore latae.

Sed non minus negocii faceſſit Eruditis negocium horumce carminum *de anteſtatione*, & *de manus injectione*, quae Terentius (1) ex Comoedia palliata Apollodori, in ſuam quae *Phormio* inſcribitur, tranſtulit, quaeque in gratiam amiciſſimi no-

(1) Terentius in *Pherm. act. V. ſcen. VII.*

noſtri Franciſci Granatae Capuae, Patricii, ac Canonici Campani, atque de literis politioribus optime meriti, hîc adponenda cenſuimus.

DE. In Jus eamus. PH. in Jus? huc, ſi quid lubet.
DE. Adſequere, ac retine, dum huc ego ſervos evoco.
CH. Enim ſolu' nequeo: adcurre huc. PH. una injuria eſt.
Tecum. CH. lege agito ergo; PH. altera eſt tecum, Chreme.
DE. Rape hunc. PH. itane agitis? enimvero voce eſt opus.
Nauſiſtrata, exi. CH. os opprime. DE. impurum vide,
Quantum valet. PH. Nauſiſtrata, inquam. CH. non taces?
PH. Taceam? DE. niſi ſequitur; pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exculpe. PH. eſt ubi vos ulciſcar locus.

Primum Decemviral. Tabulae caput.

Quod niſi quis teneat primam Tabulam Decemviralem, quae rationem inſtituendi judicii tradebat, cujus primum caput: *Si quis in jus vocat, atque eat*, quod vel ſolemne carmen Romanis pueris in ore

Digitized by Google

ore fuiſſe ſcribit Cicero (1); ac in Jus vocatum, actorem confeſtim ſequi jubebat; quod ſi ſequi nollet, tum actor eos, qui aderant teſtes vocabat; idque *anteſtari*, ſive *ante teſtari* dicebatur; praehensâ enim actor unius eorum auriculâ, ſicque interrogans, *licetne anteſtari*? illo autem reſpondente, *licet*, adjectoque tum verbo *memento*, ſi reus fugeret, vel obniteretur, injectâ manu, eum in jus obtorto collo rapiebat, eaque *manûs injectio* dicebatur. Quem morem ex Athenienſibus ad Urbem Romam Decemviros deduxiſſe, haut dubium eſt. Quid anteſtatio, manusve injectio?

Ceterum, nî fallor, Terentius reſpexiſſe videtur ad Athenienſium conſtituta jam inde relata in ſeptimam Decemvirorum Tabulam, in qua famam alienam legibus tegere religio fuit. Nihil enim iniquius putârunt viri illi ſapientes, quam optimorum Civium nomen permittere ſcurris, iniquis nebulonibus, ac ſcitulis poëtaſtris, quibus optimi

(1) Cicero *lib. II. De legibus*.

mi cujuſque virtus eſt inviſa: ideo fuſtibus feriri, ſive ad necem caedi ſanxerunt eum, qui pipulo, ideſt convicio, occentaviſſet, ſive obſtrepuiſſet, carmenve condidiſſet, quod infamiam faxit flagitiumve alteri. Solon vero, ut in ejus vita ſcribit Plutarchus, ſeveriori diſciplinâ coërcuit id genus homines; nam adverſus eos popularem voluit actionem dari, itaut cuivis agendi facultas foret.

Quae poena olim conſtituta adverſus eum, qui infamiam faxerit, convicium-que alteri?

Sed exemplorum ad rem noſtram ſatis ſuperque, ſi memineri mus, quam crucem fixerit vel acri ingenio viris ſolemnis illa ſepulcralis formula, quae in plurimis per Gallias ſaxis occurrit: *Monumentum ſub aſcia dedicare*, quam nuper feliciter illuſtravit eruditiſſimus Mazochius Campanae Eccleſiae Canonicus, in ſuo non mutilo *in mutilum Campani Amphitreatri titulum*, *Commentario*. Ex his igitur quae diximus, liquido unicuique conſtare debet, Latini partes eſſe nedum cunctarum ſcientiarum, artiumque liberalium, & mechanicarum

Laudatur Mazochius, quod formulam ſepulcralē illuſtraverit: *Monumentum ſub aſcia dedicare*.

Digitized by Google

rum peritiam habeat, ſed & leges, & ritus, & mores Romanorum, & quandoque fortaſſe exterorum calleat neceſſe eſt. Quare apud Veteres ſoli Grammatici omnium ſcientiarum Cenſores, & Judices fuêre, qui iccirco Critici recte ſunt appellati.

Ut igitur Latini in loquendo, & Latinorum Scriptorum mentem, nos probe adſecutos eſſe videamur, plurimi, ut diximus, noſtrâ refert, ne vel tantillum abſimus a formulis, quas optimi ſermonis Romani Scriptores praeſcripſerunt, ac eorundem Romanorum ritus, & mores dignoſcamus; ſi enim Romanarum rerum notitiâ imbuti ſumus, facili negocio, ſcribentium, ſiquae ſint obſcuritates, evaneſcent; nam ut Sextus Caecilius inquit apud Gellium: *Obſcuritates, non adſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcitiae non adſequentium. Quid enim certius Scriptor, ut Cicero ait, voluntatis ſuae teſtimonium relinquere potuit, quam quod ipſe magnâ cum curâ, atque diligentiâ ſcripſerit?* Hinc eſt, quod Labeo jurisconſultus

Quid ut latini in loquendo videamur; Scriptorumq; mentem adſequamur?

conſultus nobiliſſimus, uti narrat idem Gellius: *Cum latinarum vocum origines, rationeſque percalluerat, eâque praecipue ſcientiâ ad enodandos Juris laqueos utebatur.* Verborum enim intelligentia a cognitione linguae, quâ utimur, & quandoque a ſenſu ejus, qui loquitur pendet, quod in Satyricis potiſſimum eſt, utpote quorum inſtitutum eſt irridêre & exagitare loquaces, illiteratos, ambitioſos, foeneratores, ſicarios, fures, detractores, adulteros, alioſque id genus homines, ut ſcilicet eorum aculeis exulcerati, ad bonam frugem redeant tandem. Utuntur quandoque aequivocis, fictiſque nominibus; plerumque adjunctis, vel demum veris nominibus, cum aliquos ſimili ſcelere inſignes exagitare volunt. Quod vel ex hiſce tribus Anonymi diſticis ad Naſum uno, ad Tabidum altero, tertio ad Joſephum, oſtendi poteſt. Ad Naſum:

Satyrici inſtitutum.

Lepidi Anonymi luſus ex adjunctis in Naſum, Tabidum, & Joſephum.

Omnia longa tibi cum ſint, nil Naſe, ſtupeſco.
Quod longus caudâ ſis quoque, mente brevis.

Ad

Ad Tabidum:

Macreſcis vultu, tabeſcis corpore toto;
Nulla etenim capiti ſtat tibi mica ſalis.

Ad Joſephum:

Philoſophus, Rhetor Joſeph, Jurisque peritus,
Ingenii vacuum cum gerat uſque caput?

Sed cum id ſtudeamus omnes, ut meliores fiant boni, mali a nequitia deterreantur, cavendum quammaxime, ut ne, dum vitia inſectantur Satyrici, eas ponant voces, e quibus qui legunt, evadant deteriores; enimvero foeditates nemo bonus nominare debet, nedum ut literis mandet. Maluerim igitur non reprehendere vitia deteſtanda, quam in execranda oratione mereri reprehenſionem. Si quis igitur aliena peccata inſectetur: eâ modeſtiâ utatur, ne ſuam orationem efficiat eo nequiorem, de quo verba facit. Sunt tamen inculpata argumenta quaedam, ut inquit Scaligerus, in quibus hoc Poëmatis genere oble-

Inculpata quaedâ Satyrae argumenta apud Scaligerum.

ctare possis etiam casta ingenia; quod si scire vis quot, qualesve sint hujuscemodi scriptionis species, eum consule.

Haut satis itaque miramur eorum insciti am, ac petulantiam, qui cum ignorent quanta cautio adhibenda sit, ut veteris Scriptoris mentem probe adsequamur, miro errore putant se omnia intelligere, cum ne vel hunc quidem Virgilii versiculum sat legere valeant:

Insere nunc, Meliboee, pyros; pone ordine vites!

vel hos Damoetae in Menalcam:

Novimus, & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risêre, sacello.

Sed haec, quae hactenus diximus observanda sunt, ut Latinorum dumtaxat scriptorum mentem adsequamur; si enim artium auctores intelligere velimus, notionem, quam ii, qui ex propria arte, verbis, quibus utuntur subjectam velint, teneamus necesse est.

Quid si artium auctores intelligere velimus?

Et ut ab Jureconsultis exordiamur

mur, ut nihil dicam de verborum ſtructurâ, in qua ſaepiſſime ab uſu Latini ſermonis recedunt, ex propriâ arte verbis utuntur, ut liquido conſtat ex titulo, qui in Jure extat, *De verborum ſignificatione*, & ex libro, quem in lucem edidit Carolus Dukerus *De verbis non ſatis probatae latinitatis, aut non ex recepta ſignificatione, vel contra Grammaticorum regulas a Juriſconſultis uſurpatis*. Et ut perſpicuum id fiat, pro rei dignitate, aliqua hîc lubet adponere exempla.

Tignum quid Juriſconſultis, quidve Latinis ſignificet?

Tignum Latinis pro *trabe grandiori* accipit praeter alios Caeſar quo loco agit de ſtructura pontis ſuper Rhenum. Sed latius patêre docent haec verba Caji, Tit. *De verborum ſignificatione*: *Tigni appellatione in lege XII. Tabb., omne genus materiae, ex qua aedificia conſtant, ſignificatur.*

Item, & Emancipatus?

Emancipatum ex eâdem *lege XII. Tabb.* liberatum a patria poteſtate per trinam imaginariam venditionem ſignificari diſcimus; at ſecus Latinis accipitur, ut oſtendunt

Digitized by Google

Horatii (1) carmina, quibus M. Antonii improbat mollitiem, qui seſe foeminae, ideſt Cleopatrae emancipaverat, ſeu in mancipium, & dominium tradiderat:

Romanus (eheu poſteri negabitis).
Emacipatus *foeminae:*
Fert vallum, & arma miles .....

Item & quid ingenuus?

Ceterum Juſtiniano *Ingenuus* is proprie dicitur, qui nativam habet libertatem, ut non immerito antiqui ingenuos ſpuriis opponebant; &

Qui patricii olim appellati?

patricios initio appellabant: eo quod patrem ciêre poſſent, ut conſtat ex oratione P. Decii Muris apud Livium (2), ſed hujus vocis apud Latinos uſus eſt etiam in aliis rebus, quae a natura ſunt, & factitiis opponuntur, ut colligere licet ex verbis Juvenalis (3):

..... quanto praeſtantius eſſet
Numen aquae, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum *violarent marmora tophum.*

Quod

(1) Horatius *epod. IX.*
(2) Liv. *lib. X.*
(3) Juvenalis *ſatyr. III.*

Digitized by Google

Quod autem de *Juris Auctoribus* dictum est, qui verba artis ex instituto utuntur, idem de Theologis, Philosophis, aliisque rerum divinarum, atque humanarum Doctoribus dicendum videtur. Hi enim vocibus, ac locutionibus utuntur, quarum ipsi uni inter se commercium agitant; nam ut Cicero (1) inquit: *Dialecticorum verba nulla sunt publica, suis utuntur, & id quidem commune omnium fere est artium.* Hinc est, quod vulgo dicitur, *verba artis ex arte.*

Incommodum ex Dialecticis in cudendis vocibus.

Voces quamplurimae, quibus nulla videtur subjecta potestas ab logicis in alias disciplinas derivatae.

Sed olim ex Dialecticorum Cultoribus, in cudendis vocibus, illud fluxit incommodum, quod cum plurimae in suis Lexicis aggestae fuerint, quarum aliquae, aut nihil significarent, aut adeo obscuras notiones adjunctas in eorum animis habuêre, aegerrime expiscari possunt; aut adeo generales, ut nihil speciale, quod usui alicui esset, significent. Quem deinde sermonem ad Juris scientiam, aliasque divina-

(1) Cic. I. *Academ.*

rum, humanarumque rerum disciplinas, maximo studiosae juventutis malo, transtulêre; itaut jure merito conqueratur eruditissimus Rapolla (1) in suo Jurisconsulto hisce verbis: *Nescias utrum plus utilitatis an incommodi, & cupidae Romanarum legum juventuti, & reliquis civibus per hujusmodi Magistros adlatum sit. Quotus enim quisque est, qui ignoret, ex quo primum Romani Juris corpus noviter inventum explicari coeptum est, Scriptorum molem eo usque crevisse, ut Jus civile statim & magnitudine, & difficultate laboraverit suâ: Doctorum enim juris ingenia mirum in modum Dialecticae studio delectabantur, ut ferebat illorum temporum consuetudo; quapropter argumentis, & disputationibus adeo sese dedidérunt, ut non tantum legum interpretationes, sed, ut Jacobus Cujacius loquitur, liberos ingentes, immanes, insanos commentarios sibi quaesierint, &c.*

Unde in Jure civili tot disceptationes?

Sed

(1) Rapolla *pag.* 11.

Digitized by Google

Sed antequam hinc abeamus, coronidis loco addendum videtur, non minus in profanis, quam in sacris obscuritates passim occurrere; quis enim ignorat Sacrae Scripturae Codicem, in permultis obscurum, & intellectu difficilem, nisi cui non adhuc obvia fuêre exempla; primum Discipulorum euntium in Emaus, qui non intelligebant Scripturas (1), nisi Christus interpretaretur? secundum Eunuchi Reginae Aethiopum, qui rogatus a Philippo, an intelligeret Isaiam, quem legebat, respondit (2): *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Tertium Apostolorum, qui multa eorum, quae a Christo dicebantur, non intelligebant (3): *Accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: edisse nobis parabolam zizaniorum agri.* Alia, & illustria, & obvia passim sunt exempla.

Non minus in profanis, quam in sacris literis obviae sunt obscuritates.

Scripturis autem obscuritatem adferunt maxime, aut res in se ob-

Quae divinis Scripturis obscuritatem adferant?

(1) *Lucae XXII. XXVII.*
(2) *Actor. VIII. XXXI.*
(3) *Matth. XIII. XXXVI.*

Digitized by Google

ſcurae ut ſunt Prophetiae, & Fidei Myſteria; aut modi quibus res ipſae traduntur, veluti ſunt idiotismi Hebraici, & Graecanici pene ubique obvii; parabolae, adagia, tropi admodum inſolentes; auxeſes, ironiae, metatheſes, antitheta in ſpeciem frequentia, nomina propria perſonarum, Urbium, Regionum exoleta, arbores, fructus, herbae, aromata, gemmae, lapides vix ullis auditi: denique inſtrumenta & lemmata geometrica, architectonica, aſtronomica, aliaque aliarum artium paucis explorata.

Quid rei latinae elegantia praeſtet.

Sed ad rem Latinam redeamus; cujus elegantia praeſtat, ut ex Cicerone (1) colligere licet, ut delectis verbis, concinno nexu aptis, atque Urbanâ pronunciandi ratione, ſermonem fundamus. Hinc tres elegantiae Latinae partes, delectus verborum, quae nempe florente ſermone, viris praeſtantibus in uſu fuêre; latina eorundem collocatio, & recta pronunciatio.

Prae-

(1) Cic. *lib. III. de Orat.*

Digitized by Google

Praeſtantium autem Latinae linguae virorum, ut inquit Voſſius, quanquam non ita magnus eſt numerus, non tamen a quolibet verba ſunt deligenda; ſed judicio hîc opus, nam linguae Latinae Scriptores alii aliis ſunt meliores, & elegantiores, utpote qui verbis, quae per elegantiorum Urbis Alumnorum ora verſabantur, & concinno nexu aptis, in politiori linguae aevo uſi ſunt. Cicero (1) in Bruto poſtquam dixit L. Craſſum ſibi quatuor, & triginta annis praeſtitiſſe, ac triennio minorem fuiſſe, quam M. Antonium, qui eloquentiſſimi homines aetatis ſuae fuerant; addit *ſe hoc iccirco poſuiſſe, ut dicendi latine prima maturitas, in qua aetate extitiſſet, poſſet, notari*. Hinc nos non abs re in animum induximus cum Voſſio (2) ſtudioſam Latinae linguae juventutem monitam facere, Romani ſermonis vitam, ad humanae exemplum eſſe comparatam, ut ei ſci-

Non a quolibet Scriptore latina verba deligenda, ſed a praeſtantioribus.

Latinae linguae vita humanae inſtar comparata.

(1) Cic. in *Bruto cap. XLIII.*
(2) Voſſ. *lib. IV. Partit. orat. cap. I. §. LIV.*

Digitized by Google

ſcilicet, & ſua eſſet Infantia, Adoleſcentia, Virilis aetas, Senectus, & Senium.

De Latinae linguae Infantia.

Et ut ab Infantia incipiamus, fuit haec uſque ad Pyrrhi tempora, unde ad eam referuntur Saliaria carmina Numae Pompilii, aliique veteres hymni, quae Ciceronis ſeculo vix ab eruditis intelligebantur. Illa proximo intervallo ſecuntur priſcae leges Regiae, ac Decemvirales, & antiquorum temporum monumenta; a quibus omnis divini, humanique noſtri Juris ſanctio manavit. Adeat, ſi cui eſt ocium eos, qui fragmenta Decemviralia conſervârunt, & facile dignoſcet, Latinam linguam principio fuiſſe ruſticanam, & horridam; quodque vel ex eo liquido conſtat, nempe quia priſci Romani ad ea uſque tempora, nulli rei praeterquam ruſticae & bellicae operam dediderunt. Hinc ſcite admodum, ut ſuperius diximus, Johannes-Baptiſta Vicus (1), cum Latinam linguam locutionibus ſatis do-

Pyrrhi tēporibus lingua latina ruſticana, & horrida.

(1) Vicus in *proœm. de antiq. Ital. ſapient.*

Digitized by Google

doctis scatêre notâsset, eas a doctis nationibus, & praesertim ab Jonibus, & Etruscis, Romanos ipsos accepisse conjicit.

Adolescentia linguae est a Pyrrhi temporibus usque ad Syllam; quâ aetate coepêre Romani a Graecis literas edisscere, & Atticum mel in Latium transvehere. In Graeciam enim nedum Romani, sed Barbari quoque conveniebant, quorum percelebris Anacharsis Scytha. Quinvero & Regum filii ad addiscendas ingenuas disciplinas eo mittebantur, ut de Arryba Epiri Rege docet Justinus. Optimi Scriptores extiterunt, nempe Q. Ennius Rhudiis in Appulis sitae urbis, sive Tarenti natus; qui ingenio acri fuit, atque ad scribendum promtissimo; quem ob Heroici carminis majestatem, ita celebrat Lucretius in primo:

Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Pacuvius illustris Tragoediarum scriptor, Brundusii in agro Salentino

De linguae Latinae Adolescentia.

Romani, Barbari, Regũve filii in Graeciam conveniebant pro liberalibus disciplinis comparandis.

Optimi in ea aetate Scriptores.

Q. ENNIUS.

PACUVIUS.

En-

Accius. Ennii ex sorore nepos ; & Accius Tragicus, libertinis parentibus, ut traditur, natus. Ejus Tragoediae fuerunt clarissimae, gravitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum, ut testatur Quinctilianus ; sed alii durum, & ferreum scriptorem appellant, utpote qui dum Tragoedias ex Sophocle verterit in latinum, duriorem se praestitit.

Cn. Naevius. Floruit iisdem temporibus Cn. Naevius genere Campanus, qui & bellum Punicum primum, cui vel ipse stipendia fecit, & Romae fabulam alter post Livium Andronicum edocuit ; qui tantâ in scribendo libertate usus fuit, ut nobilium factione, praecipueque Metelli Româ pulsus, Uticae tandem in Africa, litoralis Urbis, ubi M. Cato mortem sibi conscivit, ne Tyranni vultum adspiceret, diem suum clauserit extremum. Extat a se conscriptum epitaphium, quod adrogantiae, & Campanae superbiae plenum, nescio an jure criminetur Gellius (1) :

NOR-

(1) Gellius *lib. I. cap. XXIV.*

Digitized by Google

MORTALIS IMMORTALIS FLERE SI FORET FAS,
FLERENT DIVAE CAMOENAE NAEVIUM POETAM.
ITAQ. POSTQUAM ORCI TRADITUS THESAURO,
OBLITEI SUNT ROMAE LINGUA LATINA LOQUIER.

Naevii Epitaphium.

Quippe tantum ſibi ſumſiſſe ſpiritûs, illi eximio viro indulſiſſe videtur quaeſita meritis gloria. Hinc & Virgilianus Heros (1):

Sum pius Aeneas, raptus qui ex hoſte penates
Claſſe veho mecum, famâ ſuper aethera notus:
Italiam quaero patriam, & genus ab Jove ſummo.
Bis denis Phrygium conſcendi navibus aequor,
Matre Deâ monſtrante viam, data fata ſecutus:
Vix ſeptem convulſae undis, Euroque ſuperſunt.

Laus propria quandoque licita.

De

(1) Virgilius *lib. I. Aeneid.*

Digitized by Google

Deteſtanda tamen eſt eorum adrogantia, qui ex malefactis, *laureolam*, ut dicitur, *in muſtaciis ſibi quaeritant*.

M. PORCIUS CATO. Marcus Porcius Cato patriâ Tuſculanus, Civitate Romanus, viva & expreſſa virtutis imago, utpote qui cum vitiis Romanorum bella geſſit.

PLAUTUS. Plautus Poëta Comicus, natione Italus, patriâ Sarſinas, linguae Latinae decus, jocorum pater, riſuum, facetiarum, ut vel ejus epigramma, quod ipſe fecit, & incidendum ſuo ſepulcro reliquit, auctore A. Gellio (1), teſtatur:

Plauti Epitaphium apud Gellium.

POSTQUAM MORTE CAPTUS PLAUTUS,
COMOEDIA LUGET, SCENA EST DESERTA.
DEINDE RISUS, LUDUSQUE, JOCUSQUE,
ET NUMERI
INNUMERI SIMUL OMNES COLLACRYMAVERUNT.

P. TERENTIUS. P. Terentius etiam Poëta Comicus Carthagine natus, Terentii Lucani li-

(1) A. Gell. *lib. I. cap. XXIV.*

libertus, qui cum esset egregiâ indole, a patrono eruditus, & libertate donatus; Comoediae egregiam rationem excogitavit; in Dramatibus suis inimitabilis, Regula puritatis, & elegantiarum Latini sermonis. Ceterum totus pudicus, castus, & verecundus, quem a sacris suis Vesta non arceat, Terentius apud Lipsium existimatur. Ipse vivis coloribus:

Terentius regula puritatis, & elegantiarum latini sermonis.

Descripsit mores hominum, juvenumque, senumque
Qualiter & servi decipiant dominos.
Quid meretrix, quid leno dolis, quid fingat avarus;
Quae quicunque legit, jam bene cautus erit.

Virilis aetas viguit Julii Caesaris, & Octavii Augusti temporibus, quae dicitur aureum linguae saeculum, quo Romani cum Graecis, tum eloquentiae, cum sapientiae studiis contenderunt. Linguam excoluerunt hoc aevo M. Varro, quo nemo umquam doctior ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos

De virili Latinae linguae aetate.

M. Varro.

VI.

C. J. CAESAR. vixit: Elegantissimus Caesar, in cujus stylo tot blanditiae, tantaque nativa felicitas, ut nihil supra: Facundissimus Cicero, qui non quod in unoquoque optimum fuit, studio consecutus est, sed plurimas, vel potius omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissimâ ubertate; non enim pluvias, ut Pindarus ait, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam Providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia expiraretur; hinc Antonius Augustinus olim noster Allifanus Episcopus, vir & Jureconsultissimus, & optime de literis elegantioribus meritus, Ciceronem etiam senex lectitabat, ut eloquentiae principem. Nitens Lucretius, versu Poeta, re Philosophus,

M. T. CICERO.

Anton. Augustinus Ciceronem etiam senex lectitabat.

T. LUCRETIUS CARUS.

Cui neque fas fuit, & terras evolvere, & undas,
Quaeque artanda tenent flumina, terra, mare,
Dum verum causas vestigat.....

Quanti autem Ovidius Lucretium aestimarit, his versibus ostendi potest:

Car-

Carmina ſublimis, tunc ſunt petitura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Horatius lyricorum, & ſatyrarum ſcriptor, qui ad notandos hominum mores praecipuus eſt, purus imprimis, & terſus Lyricorum idem fere ſolus legi dignus; nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis, & gratiae; & variis figuris, & verbis feliciſſime audax. Ceterum hoc proprium, & peculiare fuit Horatio, ut ridenti ſimilis; & quaſi diſſimulans, improbitatem, ac hominum vitia accuſaret; quod ea magis urgeant, atque afficiant, quae ſenſim irrepunt, quam quae apertâ fronte invadunt. Quod ipſum & Poëta Perſius (1) demonſtrat. Q. HORATIUS.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circum praecordia ludit.
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Hinc: *Verum age*, inquit Minturnus

(G)

(1) Perſius *ſatyr.* 1.

nus (1), *ut urbane, ut callide ad multorum, se reprehensionem insinuat, cum se purgare videatur quod satyras scriberet, mordaxque haberetur.*

Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit.

& quae secuntur, quod non minus festive facit, cum, a quo ipse moneatur ne satyricum moliatur poëma, Trebatium fingit. Quam facete, & versute stultitiam hominum irridet, quando Damasippum inducit? Quid cum Epicuri sectam irridet? Aut cum facit a Fundano Nasidieni convivium narrari? An non callida urbanitas est, quando Tiresiam cum Ulysse differentem inducit? Nimirum perita facetaque calliditas est, cum a servo reprehendi se facit. Sexcenta id genus camperies, quae Poëta ille vafre, acute, lepide, festive tractârit.

SALLUSTIUS, LIVIUS, OVIDIUS, TIBULLUS, PROPERTIUS.

His quoque temporibus claruerunt, vehemens Sallustius, lacteus Livius, facilis Ovidius, cultus Tibullus, graecis gaudens Propertius, ple-

(1) Minturnus *Poëtica lib. V. pag. CDXXVI.*

Digitized by Google

pleniſſimus elegantiarum Catullus, & ſublimis Virgilius, qui cantu Muſas, Phaebumque aequavit honore; & cujus terga omnes Poëtas ſpectare notum eſt; ut de eo non immerito cecinit Propertius (1):

BULLUS, PROPERTIUS, CATULLUS, VIRGILIUS.

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graeci:
Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

Et Chriſtodorus Thebanus (2):

Amicus Auſoniis canorus excellebat Cygnus
Spirans facundiam Virgilius, quem quondam Romae
Thymbrias alium Homerum nutrivit paternâ linguâ.

Hic adeo mirâ varietatis venuſtate res in dicendo tractavit, ut apud omnes ſummam meruerit gloriam; nam ut Scaliger (3) ait: *In primo Urbem aedificat; in ſecundo diruit; in tertio naves molitur; in primo deſtruit; in octavo arma fabricat, in multis locis diſcindit; in ſeptimo procurat mutitiones, quas haud mul-*

Mira in Virgilio varietatis venuſtas in dicendo.

(1) Propert. *lib.II. eleg.XXXIII.*
(2) Chriſtod.Theb. *epigr.Graeco lib.V.epigr.LXXV.*
(3) Scaliger Poët. *lib.III.*

Digitized by Google

to poſt oppugnat. Actiones quoque & negocia vel civilia, vel ſacra, vel militaria item multis in locis. Navigationem, venationem, obſidionem, oppugnationem, exilium, fugam, impreſſionem, amores, ludos, vaticinia, ſacrificia; auſpicia Urbis in octavo. Concilium inter Coelites, alterum inter mortales, legationem, ſocietates militares, funeris pompam, foederis ictum, foedus turbatum. Mortes autem, quas frequentes neceſſe erat deſcribere; numquam ejuſmodi, fato ſuo fungitur Anchiſes; Miſenus ab aemulo Tritone ob invidiam; Palinurus ob fidem; Lauſus ob pietatem; Mezentius ob ultionem; Pallas ob audaciam; Aruns ob perfidiam; Camilla ob fortitudinem; Turnus ob avaritiam, & gloriam, ſpoliis detractis. Videbis quoque in ipſis praeliis tot diverſos modos, quot intereunt viri.

Non eſt ut plura de hoc Poëtarum Latinorum Principe dicamus, cum cuique ſatis exploratum ſit, vel illud unum, quod tanto in honore habitus fuit a Senatu, po-

Digitized by Google

populoque Romano, ut auditis ejus verſibus in Theatro, univerſus populus illi adſurrexerit, ipſumque, ut ſcribit Cornelius, forte praeſentem, ſpectantemque veneratus eſt ſic, quaſi Auguſtum Caeſarem. Bucolica ſua annis ſeptem, ſuam Aeneida annis decem elaboravit; & tamen quis crederet, primus ipſe ſui rigidiſſimus cenſor, & judex divinam ſcriptionem ad rogum damnavit, ut teſtatur Drexellius (1)?

Virgilius in elaborandis Bucolicorum libris annos ſeptem, Aeneidos, decem infudaſſe perhibent.

Sed, ut eo revocetur, unde noſtra declinavit oratio; decreſcenti aetati initium fecit Tiberius Caeſar; in qua tum propter adulationem Civium Romanorum erga ipſum Caeſarem, qui brevi loquendi genere delectabatur, cum propter concurſum hominum ex Provinciis, & Urbibus remotis Civitate donatorum, Latini ſermonis peſtis graſſari potiſſimum coepit, & improprium, & obſcurum ſermonis genus invaluit. Unde Cicero (2): *Omnes fere*, inquit,

De Latinae linguae ſenectute.

Adulatio in Tiberium, & peregrina lingua corrumpere coepit Latini ſermonis venerem, ac majeſtatem.

(1) Drexell. *par. I. Antiſod. cap. VII.*
(2) Cicero in *Bruto cap. LXXIV.*

Digitized by Google

quit, *qui nec extra hanc Urbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica inſectaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem fecit vetuſtas, & Romae, & in Graecia. Confluxerunt & Athenas, & in hanc Urbem multi inquinate loquentes, ex diverſis locis.*

Sed meliori Latinitati adfiniores fuêre, ex proſae ſcriptoribus Pomponius Mela, elegans Geographus inſigni opere *De ſitu Orbis*, toti Orbi notus.

POMPONIUS MELA.

Vellejus Paterculus homo Campanus, non minus Gente, quam in dicendo mirâ ſtyli jucunditate, ac clariſſimo candore, nobilior.

VELLEJUS PATERCULUS.

Lucius Junius Moderatus Columella, qui libris duodecim univerſam Ruris diſciplinam, ac Agriculturam, non ruſtice ſcripſit. Is de Malis Perſicis, quae in Perſide venenata ſunt, ſed in Europam translata, venenum omne exuunt, ita:

COLUMELLA.

. . . . Poma; quae barbara Perſis.
Miſerat . . . . patrii armata venenis:

At

Digitized by Google

At nunc depoſiti pravo diſcrimini lethi,
Ambroſios praebent ſuccos oblita nocendi.

Cajus Plinius Secundus, ſenior appellatus, qui omnium rerum memorabilium collector, judex ingeniorum ſummus, aeſtimator acutus, admirator diſertus Angelo Politiano eſt habitus. Item Cajus Plinius Coecilius Secundus, ex ſenioris ſorore natus, Panegyrico, quem Trajano dixit percelebris, utpote quo in genere, ut ait Voſſius, Romana facundia nihil habet elegantius. Cornelius Celſus, Svetonius Tranquillus, Quinctilianus, & Cornelius Tacitus, qui Principum doctor, Aulicorum Paedagogus, Hiſtoricorum anteſignanus, Prudentiae Pater, Oraculum civilis diſciplinae, Coryphaeus politicorum vulgo habetur. Sed an jure, rerum aeſtimatoribus judicium eſto. De Tacito hoc epigramma ſcripſit Martialis Anglus (1):

PLINIUS SENIOR.

PLINIUS JUNIOR.

C. CELSUS, SUETONIUS, QUINCTILIANUS, C. TACITUS.

(1) Owenus *lib. II. epigr. CLIX.*

Digitized by Google

Veracem fecit probitas, naturæ sagacem,
Obscurum brevitas te; gravitasque brevem.

SILIUS ITALICUS. Ex Poëtis vero Cajus Silius Italicus, qui carmen Epicum elaboravit *De Bello Punico Secundo*, septendecim libris expressum. Quod Poëma cum per plura secula delituisset blattis tineisque conflictatum, tandem e latebris in lucem prodire coepit temporibus Concilii Basileensis. Sed eo ignorato a Francisco Petrarcha, idem bellum carmine adgressus est, sub titulo *Africani*.

SULPITIA ROMANA. Sulpitia matrona Romana ex nobilissima Sulpitiorum familia, cujus meminit Apollinaris Sidonius, meminit & Martialis (1), cum eam legendam esse hortetur illis puellis quae uni viro servare fidem, quae castae conjuges esse velint; scripserat enim nobilis haec Heroina poëma egregium, *De Amore Conjugali*. Item Satyram, quâ invehitur in Domitiani tempora, quae Satyra falso Ausonio tri-

(1) Martialis *lib. X. epigr. XXIII.*

Digitized by Google

tribuitur; ſatis enim patet, inquit Scaliger, a foemina factos verſus, in quibus Muſa cultricem appellat ſuam: quaeque ait ſeſe primam docuiſſe Romanas mulieres poſſe cum Graecis poëtricis comparari,

Primaque Romanas docui contendere Grais.

In ea multum dexteritatis, ad ſatyricam amarulentiam adſpirantis. Numeri vero, ut in eo genere Poëmatis non contemnendi.

M. ANNAEUS LUCANUS.

Marcus Annaeus Lucanus ardens, & concitatus, & ſententiis clariſſimus, quem ideo in Poëtarum albo adſcribi non meruiſſe cenſuit Servius (1), quia videtur compoſuiſſe Hiſtoriam, non Poëma; neglectis enim Poëtarum coloribus, ita verſatus eſt, ut parce fingeret.

A. PERSIUS.

Aulus Perſius Flaccus acutus ſatyricus, ſed caliginoſus. Secutus eſt in ſcribendis Satyris Poëtam Lucilium, qui acerrimus fuit in notandis, atque inſectandis Romanorum

(1) Servius in *lib. I. Aen. verſ. CCLXXX.*

rum vitiis. Perſium plurimi fecit Martialis, ut vel hocce epigrammate oſtenditur:

Saepius in libro memoratur Perſius *uno*,
Quam levis in totâ Marſus Amazonide.

JUVENALIS. Decius Junius Juvenalis Poëta ſatyricus, ex Aquino oriundus, elegans & ubique argutus, & inventione, & diſpoſitione, & nexu dicteriorum: quo nemo vitia ſeculi ſui altius penetravit, nemo gravius, & cum majore indignatione perſtrinxit.

PAPINIUS STATIUS. Publius Papinius Statius Neapolitanus, eruditus in *Sylvis*, ſublimis in *Thebaide*, blandus in *Achilleide*; Virgilianae Aeneidos felix imitator. Cujus mira, & extemporanea in carmine felicitas, ſicut Domitiano percharum; ita Martiali inviſum reddidit, ut Voſſius docet. Nil hinc mirum, ſi hicce epigrammatographus cum pene omnes aequales ſuos laudibus fuerit proſecutus, Statii numquam meminerit.

His-

Digitized by Google

Hisce quoque temporibus floruit Polycarpus, qui post Apostolos, quorum familiaris fuit, pene ceteris sanctior, & divinior est habitus; quique quae ab Apostolis, & praecipue ab Johanne Evangelista, cujus discipulus perhibetur, didicerat, docuit, & Ecclesiae tradidit. Scripsit ad *Philippenses* satis utilem *Epistolam*, quae ad Hieronymi usque tempora in Asiae Conventu legebatur, quam sane epistolam multum laudant Augustinus, Tertullianus, Irenaeus, Bellarminus, atque Baronius. Romam veniens sub Antonino Pio, Ecclesiam regente Aniceto, multos ab haeretico errore correxit: ac tandem centenario major Smyrnae igni traditus est, sedente Proconsule, & populo adversus eum in Amphitheatro personante. S. POLYCARPUS.

Sed, ut diximus, Statii coaevus fuit Martialis, qui ut Plinius ait, ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo, & salis haberet, & fellis. Hinc Scaliger: *Epigrammatis duae virtutes* pe- V. MARTIALIS.

peculiares, brevitas, & argutia; hanc Catullus non semper est adsecutus: Martialis nusquam amisit. epigrammata sint vivida, vegeta, acria, qualia Martialis, cujus lepôres, & jocos solitus est singulari affectu prosequi Aelius Verus Imperator, & Martialem, suum Virgilium vocare.

Martialem summis laudibus extollit (1) Laurentius Ramiretius, & quod facetiis sit gravissimus, & quod non risu, & subsannatione, utpote urbanitatis magister diligentissimus, a vitiis, & rusticitate morum deterreat. Sed id maxime urbanitatis vitii Martiali vertitur, quod res Veneris nudis enunciet vocabulis, naturam hac in parte minime imitatus, quae obscoena ab oculis prorsus removit. Hinc Juvenalis, ubi referebat amantium lenocinia: qui putidulâ uterentur oratione, Graecis adferri maluit, ac veluti tegi. Quid enim cogitet adolescens, qui certarum ignarus obscoenitatum, audiat

Quid Vitii Martiali vertitur.

(1) Laurent. Ramir. in epigr. XXI. lib. III.

diat verba, aut vocabula tam nefanda, quam monſtroſo ſunt ingenio ii, qui ex ſcriptis ſuis audent inſerere? Hinc extat Martialis Epigrammatum Ingolſtadienſis editio a Patribus Jeſuitis procurata, quae ab obſcoenitatibus penitus expurgata eſt. Lepida, falſa, arguta, apta, faceta prae ceteris, omni laude & aemulatione digna recenſentur, quae ſcripſit Epigrammata *de Numa*, in *Theleſinum*, in *Cajum*, in *Dentonem*, in *Cinnam*, in *Ligurinum*; ad *Poſthumum*; in *Symmachum*, in *Zoilum*, in *Varum*; de *Uxore Galli*; in *Sextium*; ad *Decianum*, ad *Velocem*; in *Mancinum*; ad *Fidentium*, ad *Aeliam*, ad *Ponticum*; ac demum ad *Paullam*; de *Theleſina*; in *Proculinam*, quas, ut ſupra diximus, legis Juliae reas afficit. Verum, quoniam haut memoria ſivit, ut in animo erat, ſingularum Juliarum legum ibi meminiſſe, nunc ansâ adreptâ, hîc eas adponere non pigebit.

Martialis ab obſcoenitatibus expurgatus.

Et quidem Juliae leges multae referuntur a Juliis, ideſt a C. Julio Caeſare, & Octaviano Auguſto in

Leges Juliae, quae?

idem

idem nomen ex testamento adoptato, latae. Veluti Julia Majestatis, quâ reus non tantum gladio ultore perit, bonis fisco addictis (1), sed & memoria ipsius post mortem damnatur (2).

Julia Majestatis.

Julia de vi publica. Julia de vi publica, quae vim armis illatam persequitur, & vindicat (3).

Julia de vi privata. Julia de vi privata, quae sine armis factam vim coërcet (4).

Julia repetundarum. Julia repetundarum, quae rapaces manus Magistratuum a sociorum, & provincialium bonis arcebat, injustaque jurisdictionis lucra prohibebat (5). Ceterum lege Juliâ hoc crimine etiam Magistratus urbani accusabantur, si qui in aliqua curatione pecunias accepissent; item Judices si ob judicandum. Dicta est autem repetundarum, utpote quâ privatae pecuniae ab avaris Magistratibus repetebantur. Hujus legis

(1) *L. quisquis C. ad legem Jul. Majest.*
(2) *L. meminisse, l. fin. C. eod. §. pub. autem jud.*
(3) *L. Jul. Institut. de pub. jud.*
(4) *L. V. ff. ad leg. Jul. de vi pub. §. item lex Jul.*
(5) *Tot. tit. ff. ad legem Juliam repetund.*

Digitized by Google

gis meminit Cicero, in Oratione *pro Sextio*, & in Oratione in *L. Piſonem*, & in Oratione *in Vatinium*, hominem, nempe illum contaminatiſſimae vitae, qui pudoris adeo profligati fuit, ut non invenuſte dixerit Seneca: *Vatinium aſſiduo convivio depudere didiciſſe*. In hunc, cum ſceleſtiſſimi productus eſſet mendacii teſtis, tam adpoſite Cicero objecit ejus flagitia, ut Romano populo penitus exoſus evaſerit.

Julia peculatus, quae duo alia criminum capita comprehendit, nempe *de ſacrilegio*, & *de reſiduis*, in eum lata eſt, qui rapit ipſe, vel intercipit, avertit, aufert, inque rem ſuam vertit pecuniam publicam, ſacram, religioſam, & in aurum, argentum, aes publicum deterioris aliquid materiae confundit; aut alteri, qui hoc meditetur, praeſtat operam ſuam. Ubi non ſine operae pretio notatum velim, quod pecuniae appellatio ad ea omnia refertur, quae in patrimonio noſtro ſunt; non enim numerata tantum pecunia, ſed & corporales res *Julia peculatus.*

Digitized by Google

res, ſive mobiles, ſive ſoli & jura, eâ appellatione continentur (1). Ideo autem quidquid horum eſt pecunia dicitur, quia Romani ante Servium Tullium, qui ut Plinius (2) teſtatur, primus aes effigie ovium, boumque ſignavit, precium rerum in pecudibus conſtituebant, aut bobus: ut iis pro crimine multarentur, & vectigalia penderent. Unde ut advertit eruditiſſimus Briſſonius (3), furtum pecuniae publicae peculatus dicitur, tum quia pecuniae nomen a pecude venit; tum quia criminis initium a pecudis fraude eſſe coepit.

Poena Peculatus eadem, ac ſacrilegii.

Criminis hujus poena olim erat aquae & ignis; poſtea deportatio, & tandem pro delicti gravitate per Principum conſtitutiones ad extremum uſque ſupplicium puniebatur reus (4). Iiſdem poenis urgebantur ſacrilegi, ii nempe qui ex publicis ſacris quid abſtulerint. Sed cum principes, ſacrilegii crimen aliquatenus

(1) *L. IV. & V. ff. de verbor. ſignific.*
(2) Plinius *lib. XVIII. cap. XXXIV.*
(3) Briſſonius ex Feſto verbo *Peculatus.*
(4) *L. un. C. de crim. pecul. §. item lex Julia.*

Digitized by Google

tenus ad eos extenderent, qui praecepta ſua neglexerint, factum eſt, ut conſtitutionum ſuarum violatores ſacrilegi haberentur, & ſacrilegii poenas luerent (1). Quod ſane multo aptius ad legum Divinarum corruptores, ſacrorumque Canonum violatores adcommodatur, quos blaſphemos eſſe in Spiritum Sanctum, & graviſſimo Dei judicio dignos pronunciavit Damaſus Papa (2) in Concilio Conſtantinopolitano.

De reſiduis autem tenetur, qui pecuniam publicam, non in eos uſus contulerit, in quos adtributa ſibi fuerat, & is apud quem quantitas aliqua ex publica adminiſtratione ſuperſit, quam vel profiteri, vel in publicas rationes referre neglexerit, aut profeſſam, relatamve ultra annum apud ſe eſſe ſivit. De reſiduis quis teneatur?

Julia de Annona in eos lata eſt, qui annonam quoquo modo vexant, ſive ſubtrahendo, ſive ſupprimendo, inopiamque rei cibariae *Lex Julia de Annona.*

(H) in-

(1) *L. un. C. de crim. ſacril.*
(2) Damaſus Papa in *can. violat. cauſſa XXV. q. 1.*

Digitized by Google

inducendo, ut inter publicas egestates privatim ditentur (1). Eâdem lege plectuntur & ii, qui fraudulenter in annonae administratione versantur, sive Praefectus ipsius annonae is sit, sive Praefectus Urbi (2).

Julia Agraria.

Julia Agraria est, quâ C. Julius Caesar in eos animadvertendum censuit, qui submotis agrorum terminis, jura conturbant miscentes, atque confundentes jura privatorum, finesque obscurantes quominus internoscantur (3). Ex insolentia etenim privatorum publica res maxime vexatur: praecipue per quam rei alterius dominium turbatur, aut non finitur, ut quisque re sua fruatur, ita exasperantur privatorum animi, ut flagrantes odio, Civitatem saepe distrahant in seditiones, atque tumultus. Hinc numquam satis constitutam putârunt quietem publicam viri sapientes, nisi privatorum bona legibus munirentur, cavendo ut ab alieno ma-

Ex injuriis privatorum publica res maxime vexatur.

(1) *L.II. ff. ad leg. Jul. de ann.*
(2) *L.I. §. cura ff. de off. Praefect. Urb.*
(3) *L. Agraria ff. de term. moto.*

Digitized by Google

manus abſtineamus, res alterius non attrectemus, ſinamuſque unumquemque rebus ſuis uti. Hinc eſt quod Julius Caeſar ſummâ prudentiâ, ac juſtitiâ Princeps vel huic voluit occurrere malo, cum eos, qui ſubmotis agrorum terminis, jura conturbarent, multandos cenſuit quinquaginta aureis in ſingulos terminos motos; permiſsâ cuique ex populo accuſandi facultate. Quam poenam Nerva in ſervis exacerbaſſe fertur, adjecto ultimo ſupplicio.

Julia de ambitu.

Julia de ambitu, quâ nulla ſanctior, atque utilior, utpote quae tabiferae ambitionis reprimendae cauſsâ, lata eſt (1); per eam enim cavetur, ne in munerum, honorumve petitione virtus a pecunia, probitas a calliditate, ac vafritie, & meliores a deterioribus de more ſuperentur; neve dignitates donis obtemperent, ac per largitiones, promiſſioneſque, ſuffragiorum libertas Civibus eripiatur. Ubi vero Principes Magiſtratûs creationem ad

(1) *Tit. ff. & C. ad legem Jul. de amb:*

curam ſuam revocârunt, lex ambitus in Urbe ceſſavit; & ut ab honoribus Urbanis id vitii abeſſet, ſatis viſum fuit Juſtiniano (1) pellere avaritiam ex aula Principis.

Juſtinianus cur pro viribus conatus eſt pellere avaritiam ex aula Principis?

Sed hoc ambitionis crimen, quod in Jure Civili *ambitus* dicitur, & in Jure Pontificio *ſimonia* appellatur, nempe a Simone Mago, qui cum Samariae vidiſſet per impoſitionem manûs Apoſtolorum dari Spiritum Sanctum, voluit hanc poteſtatem pecuniâ emere (2); hiſce poenis coërcetur, nempe ſi commiſſum fuerit in Beneficiis, tunc conferens, eligens, praeſentans, inſtituens, confirmans, & mediator ſunt ipſo facto excommunicati: inſuper collatio eſt nulla, nec Beneficiarius etiamſi in eminentiori fuerit dignitate conſtitutus, fructus quos ex beneficio percipit ſuos facit, ſed reſtituet Eccleſiae (3). Excipienda tamen fuit electio Romani Pontificis, quam ſi Cardinales pecuniâ corrupti fortaſſe

Quibus poenis urgeantur Simoniaci?

(1) Juſtinianus *Novella VIII.*
(2) *Act. cap. VIII.*
(3) *Extravag. cum detestabile.*

Digitized by Google

taſſe fecerint, ne Chriſtianae Reipublicae ſtatus perturbetur, valet electio (1). Ceterum tanta fuit Romanis Pontificibus religio in coërcenda ſimoniaca labe, quae Divinae Majeſtatis laeſionem directe continet, ut ſi, vel ignorante eo, qui eligitur, uni ex electoribus data, aut promiſſa pecunia fuerit, vitioſa eſt electio (2). Quod Abbas mirabile dicit: nam alioqui interventus excommunicati admiſſi, actum non vitiat (3).

Summa Romanor. Pontific. religio in coërcenda ſimonia, quae Divinae Majeſtatis directam continet laeſionem.

Julia manumiſſionis, quam Auguſto Caeſari tribuit Paulus (4), condita eſt amplificandis juribus Majeſtatis; hâc enim lege cautum eſt Principem libertatem dantem non teneri legibus manumiſſionis, ſed abſque ulla ſolennitate, ſolo nutu eximere ſervituti poſſe, ſervoſque in libertatem producere.

Julia manumiſſionis.

Juliae Judiciariae, quibus emendatur forum, & judiciorum diſci-

Juliae judiciariae.

(1) *Cap. licet de elect. DD. in cap. ſi quis pecun. diſtin. XXIX.*
(2) *Cap. Nobis de ſimonia.*
(3) *Cap. final. de Procurat.*
(4) *L. apud eum ff. de manumiſſ. §. I.*

Digitized by Google

plina regebatur, pluribus quidem capitibus; quorum quae ad nos pervenerunt, post nostrum Antonium Augustinum, virum jurisprudentiae in antiquam dignitatem restituendae natum, recensuit Barnabas Brissonius dignitate, & doctrinâ eximius (1).

Anton. Augustinus Romanae Jurisprudetiae restitutor.

Julia, & Papia Poppaea, quam sane non ratio, sed necessitas expressit ab Octaviano Augusto augendae prolis caussâ, favet conjugiis, & multitudini filiorum (2). Cui legi Horatius in carmine seculari faustum precatur exitum:

Julia & Papia Poppaea.

Diva producas Sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Foeminis, prolisque novae feraci
Lege maritâ.

Quae tamen lex, utpote contra coelibatum ab Apostolo commendatum, ut melius bonum, rejecta fuit omnium dissensu. Hinc:

Gavisa est certe sublatam Cynthia legem.

Ju-

(1) *Select. Antiq. IV. cap. VII.*
(2) Tacitus *lib. III. annal.*

Digitized by Google

Julia, & Titia, quâ Tutor in Provinciis dandus erat iis, quibus nec ullus adgnatus adeſt, nec tutor datus a teſtatore; cujus meminit Ulpianus (1). Item Julia de bonis cedundis (2). Julia Theatralis, de qua Plinius (3). Julia qua Civitas data eſt univerſo Latio, de qua Gellius (4). Julia Muneralis, quam Svetonius (5) Sumtuariam appellat. Julia de maritandis ordinibus, cujus idem meminit Ulpianus (6). Complectebatur totam matrimoniorum inter populi Romani ordines pro cujuſque ſtatu, & conditione contrahentium, rationem. *Julia, & Titia.*

Ceterum percelebris eſt lex Julia de adulteriis, quam plerique ſecernunt, non abſque erroris ſuſpicione a lege de pudicitia, quam ab Auguſto latam prodit Svetonius; quidquid enim ad munimen- *Julia de adulteriis.*

(1) Ulpian. in *Inſtit. tit. XI.*
(2) *L. IV. C. qui bon. cad. poſſ.*
(3) Plinius *lib. XXXIII. cap. II.*
(4) Gellius *lib. IV. cap. IV.*
(5) Svetonius in *Auguſto cap. XXXIV.*
(6) Ulpian. in *Inſtit. tit. XI.* & *l. un. ff. unde vir, & uxor.*

Digitized by Google

tum pudicitiae pertinere poteſt; comprehenditur hujuſce legis capitibus: quae non adulterium tantum, ſed & ſtuprum, & inceſtum, & lenocinium, & alia omnia foediora libidinum genera complectuntur.

Cur poſt Juliam Majeſtatis locetur lex Julia de adulteriis?

Sed non temere proxime poſt legem Majeſtatis locanda fuit haec de adulteriis lex, cum e criminibus hoc ſit graviſſimis, ut merito inter omnia Juliarum legum conſtituta, nulla ſeveriori animadverſione coërcita ſunt, quam adulterii crimina, & Majeſtatis. Et longe ante Juliam legem, crimen hoc adulterii, & jure Divino, & moribus populorum acerrime vindicabatur; in Judaea enim, ut in Levitico (1) habetur legibus Moſis conſtitutum fuerat, ut adulterorum uterque lapidibus obrutus periret, cum ante eas leges cremarentur, ut videre eſt ex Geneſi (2), ubi de Thamar, & Juda. In Tenedo lege cautum erat, ut adulteri mas & foemina ca-

Quomodo olim, & quibus poenis coërcita adulteria Jure Divino, & populorum moribus.

(1) *Levit. cap. XX.*
(2) *Geneſ. cap. XXXVIII.*

Digitized by Google

capite plecterentur. Thracibus in adulteros graviſſimae animadverſionis poena eſt conſtituta. Apud Aegyptios naſo plectitur adulter. Gortynis deprehenſus, lanâ coronatur in totius vitae ignominiam. Apud Piſidas inſedens aſino circumducitur. Apud Germanos adultera exciſis crinibus, & e mariti domo expulſa, nuda verberibus adficitur. Zaleucus Locrenſis utroque oculo multavit adulterum; quam judicii ſeveritatem vel in proprium filium adulterii convictum exercendam eſſe voluit, ut ex Valerio diſcimus (1). Apud Arabes, aliaſque nationes, ut ex omnigenae literaturae viro Alexandro ab Alexandro colligere eſt, adulteris ſemper capitis poena fuit; idque nedum ob criminis gravitatem, quam ut privatorum, & quandoque publicae tranquillitati proſpiceretur; nam cum ex privatorum odiis Cives abeant in ſeditiones, & tumultus; nemo inficias iverit quin to-

Zaleuci ſeveritas.

(1) Valer. Max. *lib. VI. cap. V.*

Olim quae fuerit sapientia?

tota olim sapientia in hoc sita fuerit ut Respublicas fundarent, fundatas legibus communirent, cavendo ne quis alteri injuriam faceret; nunquam enim Respublica satis constituta censebatur, nisi latis hujusmodi legibus; quibus, veluti jactis fundamentis, publicae tranquillitatis Reipublicae status, & quies inniteretur; nihil enim prodest Urbem muris circumdedisse, nisi quae intus insidias latitant, propulsemus; haecque est illa sapientia, quam in Poëtis olim fuisse inquit Horatius, ut docerent:

Publica privatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Principibus cōcredita totius Reipublicae salus, & tranquillitas.

Hinc est quod Principes; quibus concredita est privatorum, ac totius Reipublicae salus, & quies, pudicitiam, sacraque Jura thori legibus munivêre, ferrumve praebuêre viris uxoris necandae caussâ, si cum adultero deprehenderetur. Quam

sa-

ſane legum, & morum adſperitatem lenivit dies, & humanitas, quae e viri manibus eripuiſſe dicitur vindicem gladium, ne in uxoris necem verteret amplius, conſtitutâ in trangreſſores poenâ legis Corneliae de Sicariis (1). Neque deinceps igitur marito permiſſum fuit uxorem in adulterio deprehenſam occidere, licet occidere poſſet adulterum (2); Patri vero adulterae, quam habet in poteſtate permittitur etiam adulterum impune occidere domi ſuae, in ipſa tamen turpitudine actuque obſcoeno, ipſoque in opere deprehenſum, dummodo cum adultero eodem impetu interimat & filiam (3); idque conſtitutum eſſe videtur, ut minus periculum vitae adulterorum impenderet, cum proprii ſanguinis amore abduci parentes compertum ſit, ut vel de ipſo legis hujus latore Auguſto tradit Dio Caſſius (4); qui Ju-

Leges civiles necandae uxoris, vel filiae, aut adulteri poteſtatē viro, aut patri tanquam publico miniſtro nunquā tradidēre; ſed poenas remittunt ob juſtū dolorem; unde Jure Canonum non excuſantur ab homicidio.

Cur lex civilis Patri ſivit cum adultero necandā eſſe & filiam?

Julia Auguſti Caeſaris filia relegata,

(1) *L. 1. §. ult. ff. ad legem Cornel. de ſicar.*
(2) *L. nec in ea §. ſed qui, & l. Marito ff. ad l. Jul. de adult.*
(3) *L. Gracchus, l. Pater ff. de de adul.*
(4) Dio Caſſius *lib. LV.*

Digitized by Google

Ovidius cur relegatus a Caesare?

Juliam filiam adulterii ream, & ipsum Ovidium, qui nimiâ licentiâ sub Corynnae nomine ad eandem lascivas de amoribus elegias scripsit, relegavit. Hinc ipse Ovidius (1) de sententia Caesaris, quâ relegatus fuerat, inquit:

Adde quod edictum, quamvis immite minaxque,
Attamen in poenae nomine lene fuit.
Quippe relegatus non exul dicor in illo:
Parcaque fortunae sunt data verba meae.

Jure Canonico, quae poenae in adulteros constitutae?

Ceterum Jure Canonico, quod a sanguine abhorret, statutum est, ut adulterorum uterque excommunicatione innodetur (2); Clericus vero, ut ex primitivae Ecclesiae disciplina discimus, adulter deponitur, & in Monasterium detruditur (3). Quin etiam in foro, ut dicitur poenitentiali, laicus poenitentiam aget septennio, Clericus decennio

(1) Ovidius Trist. *lib. II. eleg. I.*
(2) *Cap. Intelleximus, de sent. excomm.*
(3) *Can. si quis Cler. Can. Romanus distin. LXXXI*

Digitized by Google

cennio (1). In legem Juliam de adulteriis plurima ſcripſit Andreas Tiraquellus in legibus Connubialibus (2), & Briſſonius ſingulari libro eam expoſuit, quos, ſi cui eſt ocium conſulat.

Sed ne nos plus aequo longius excurriſſe videamur, tempus jam eſt, ut ad reliquos ſequioris aetatis Scriptores revertamur. Quippe in ea claruit quoque C. Valerius Flaccus e Setia Urbe in extrema Latii parte, poſitâ in colle, & quaſi pendula; cujus Valerii meminit Martialis; nec mirum, cum percharus ei fuerit, ut ex eo liquido conſtat, quod *cuarum pretium, non vile ſuarum* feſtive vocaverit. Argonautica, quae libris octo complexus eſt, & in quibus Apollonium pede preſſo imitatur, immaturâ morte interceptus, haut potuit ad uſque umbilicum perducere. C. VALERIUS FLACCUS.

Denique ex reliquiis aurei ſeculi, floruêre M. Annaeus Seneca Rhe- M. ANNAEUS SENECA.

(1) *L. L. num. XLVIII.*
(2) *Can. Presbyter, diſtin. LXXXVIII. Can. hoc ipſum XXXIII. q. II.*

L. ANNAEUS SENECA.

Rhetor, & L. Annaeus Seneca Latinorum Philosophus; peritissimus animorum Medicus, & optimus Magister pessimi Neronis, cujus imperio, periit venis incisis, hausto que veneno; qui sane gravitate, ac morum doctrinâ magis, quam locutione commendantur.

EPICTETUS.

Verum aliud sidus se Romae ostendit Epictetus, ex Hierapoli Phrygiae Urbe Senecae aevo non merito posterior, & Scriptorum pondere, si non numero comparandus, vitâ praeponendus. Tantae enim admirationis apud omnes fuit, ut Lucianus Syrus, fictilem ejus lucernam tribus drachmarum millibus, ob ejus auctoritatem veniisse tradat. Unum hujus Philosophi Enchiridium plus hominum moribus formandis valere, quam omnium Philosophorum, qui moralem disciplinam magnâ verborum pompâ scriptis mandarunt, testatur Antoninus Pius illustrissimus, & optimus Romanorum Imperator, qui in Divino *de seipso ad seipsum* tractatu, diis immortalibus gratias egit, magnique

Quanti fecerit Antoninus Pius Epicteti Enchiridion.

gnique beneficii reputavit ὑπομνήματα accepiſſe, atque ex eo ad beatam in tanto imperio, hoc eſt honeſtam vitam, multum fructûs, & utilitatis percepiſſe.

Aetatem decreſcentem terminat Adrianus, a quo Linguae ſenium ad Theodoricum uſque tractum eſt, quo Latium Provincialibus undique hominibus celebratum, quod Imperatores Romani ex Provinciis etiam creari coepêre. Propter colluviem igitur peregrinorum, & exterorum dominationem, quorum Regia, ut peregrinis moribus, ita & verborum inſolentiâ ſcatebat: indeque cum invaſum eſſet a barbaris nationibus, corrupta loqui coepit lingua Latina, ac tandem extincta prope cum moribus legibuſque Romanis; quam, ubi eximii ingenio viri omnem operam literis dediderunt; atque Codicibus Romanarum legum longo poſt tempore repetitis, paulatim emerſiſſe cum moribus, legibuſque Romanis, gloriamur. *De Latinae linguae Senio.*

Et quanquam nullo in precio habiti ſint elegantiores Latinae linguae

guae Scriptores, tamen nunquam ita viluit, quin praestantes ingenio extiterint viri, qui eam excolerent;

TERTULLIANUS. & sane, nam circa ea tempora floruerunt Tertullianus vir profecto acris, & vehementis ingenii, humanis non minus, quam divinis disciplinis imbutus, sed elocutione difficilis.

PAPINIANUS. Aemilius Paulus Papinianus omnium qui sunt, qui erunt quique fuerunt, Jurisperitissimus, cujus tanta in Jure est auctoritas, ut si discrepantes sententiae Jurisconsultorum occurrant, ea verior extimatur, in quam Papinianus inclinat, utpote cum quo veluti semper veritas habitare censebatur, ut Theodosius in suo Codice sancivit. Maximum ingenium suis omnibus in responsis, totoque genere orationis elucet. Inest enim in eo praeter elegantiam & candorem Latinitatis omnibus Jurisconsultis familiarem, gravitas admirabilis. Septimio Severo non solum affinitate per secundam uxorem, sed societate quoque studiorum, ac vitae conjunctum adeo fuis-

Digitized by Google

fuiſſe dicitur, ut ab illo ſtatim poſt ſuſceptum imperium, Praetorio Praefectus fuerit: ab eodemque morientе curam filiorum illius acceperit. Quam ei fidem Papinianus capite ſuo perſolvit, cum ab Antonino Caracalla, quod parricidium ejus excuſare nollet, militibus occidendus traditur, cum triceſimum annum vix egiſſet.

ULPIANUS SYRUS.

Papinianum ſecutus eſt Ulpianus Syrus, qui ab Heliogabalo cum a publicis muneribus fuiſſet ejectus, indeque ab eodem Reipublicae redditus, tandem ab Alexandro Severo, qui eum veluti Pythiae oraculum conſulebat antequam grave aliquid adgrederetur, Magiſter Scrinii aſſumtus eſt, ac ſuadente Mammaea matre, pro tutore adhibitus, ut ex Lampridio (1) diſcimus.

PAULUS PATAVINUS.

Ulpiani coaevus fuit Paulus Patavinus eidem non minus aetate, & diſciplinâ, quam honoribus, & Principis gratiâ ſuppar. Sed ſtyli gravitate, & numero librorum,

(I) ne-

(1) Lambridius in *Alexandro Severo*.

nedum ipsum Ulpianum, sed ceteros quoque superasse, ac vicisse non ignoramus.

HERENNIUS MODESTINUS. Herennius Modestinus Ulpiani auditor, Jurisprudentiae vox Jure appellatus, utpote, quo sublato, illius doctrinae oracula conticuisse, ac superstitibus rivis, Juris exaruisse fontes, tradant.

MINUTIUS FELIX. Minutius Felix, Gente, ut vulgo creditur, Afer, Romae insignis Causidicus, doctrinâ tamen, ac pietate Christinâ longe nobilior, qui Dialogum illum insignem, *Octavium* appellatum, inter Caecilium Natalem, gentilem acerrimum, & Octavium Januarium, acutum Christianorum vindicem, ac patronum: quos inter medius sedet optimus arbiter Minutius Felix. In quo sane libello totum Gentilium cultum, Deorumque prosapiam, non minus erudite, quam venuste, & ingeniose convellit, & Christianos eorumque sacra ab omnibus Caecilii calumniis, atque objectionibus eleganter, & nervose vindicat.

CAECILIUS CYPRIANUS. Caecilius Cyprianus Carthaginiensis

niénſis Epiſcopus, qui opuſcula plurima elegantiſſimae phraſeos, & Ciceroniano candori proximae ad aedificationem Eccleſiae ſcripſit. In quibus, ut ait Divus Hieronymus ad Paulinum: *Inſtar fontis puriſſimi lenis inceſsit, & placidus.*

LACTANTIUS FIRMIANUS.

Lactantius Firmianus inter omnes Patres Latinos eloquentiſſimus; purus, aequalis, & nativus eſt ſtylus ejus. Denique Ciceroni prorſus ſimilis, nedum ad vocabulorum puritatem, ſed etiam ad phraſeos elegantiam, & ſcribendi modum, Jureque optimo Chriſtianorum Cicero appellatus. Rhetoricam primum Nicomediae, deindae Romae ſub Diocletiano ab eo vocatus glorioſe docuit, tandem Caeſaris Criſpi filii Conſtantini, cui amiciſſimus fuit, praeceptor jam ſenex in Gallia evaſit.

S. HILARIUS.

Hilarius Aquitanus, Epiſcopus Pictavienſis, qui primus Latinorum adeo maſcule, Arianae impietati ſe oppoſuit, ut haereticorum flagellum, & malleus, itemque Arianae pravitatis domitor recte fuerit appellatus.

Latinorum primus, gladium ſtrinxit in Arianos.

pellatus. Hunc Divus Hieronymus vocat Latinae eloquentiae Rhodanum, ac Latini sermonis tubam.

S. AMBROSIUS.

Ambrosius, cujus dicendi modus, varius est prae argumentorum, de quibus agit, varietate; generatim tamen concisus est, & argutus, ad Senecae stylum plurimum accedens, mitior tamen & lenior. Vir fuit summa pietate, omnique virtutis genere admirandus; invicti animi Praesul, qui Judaeis, Gentilibus, & cujuscumque generis haereticis strenue restitit. Cumque eâ inter sui temporis Episcopos Fidei stabilitate, morum integritate, atque eo eruditionis zelo praestitisset, hocce Imperatoris Theodosii meruit epiphonema: *Ambrosium novi unum, qui solus digne vocatur Episcopus.* Hinc Ambrosium imitari illi opus habent: *Quos*, ut Apostoli (1) verbis utar, *posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Horum quippe vitam, praeter scientiam, quâ

(1) Paulus Apostolus *Actor.* XX.

Digitized by Google

quâ pollere debent, ut ſingula tum ad Chriſti doctrinam, tum ad diſciplinam ſpectantia recte ipſi ſciant, & alios docere ſubinde poſſint, neceſſe eſt ſpecimen eſſe Chriſtianae perfectionis, & lucernae inſtar ceteris omnibus, qui in domo Dei ſunt praefulgêre, ut ſubditi horum fideles eorum imitatione mores ſuos ſanctiſſime exigant, ſitque ſpectabilis inter eos Praeſul, tanquam ſupremi Paſtorum Principis, noſtraeque omnium ſalutis Auctoris ſpirans, & viva effigies.

Epiſcoporum vita ſpecimen Chriſtianae Religionis, & lucernae inſtar omnib. praeluceat, neceſſe eſt.

Verum cum haec non ſint hujus loci, neque ampliorem repoſcant ſermonem, illud haut praeterire tulit animus, nempe recta eſſe non poſſe hominum opera, & praecipue eorum, qui praeſunt, niſi a juſtitia vera procedant, & charitatem Chriſtianam ducem, prudentiam vero comitem habeant; quae cum in ſe inhabitare ſentiret Gentium Apoſtolus; non inanis jactantiae, ſed Divini Spiritus impulſu de ſe praedicat: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

S. HIERONYMUS. Hieronymus Ciceronianus, Catholicorum Magister, Latinorum Origenes, Leo rugiens adversus haereticos appellatus; quippe numeris omnibus in omnium doctrinarum genere absolutissimus fuit; qui splendore sermonis, & eloquentiae viribus, in quibus sub Donato Grammatico, & Victorino Rhetore, clarissimis viris, profecit, omnes praeter Lactantium, Cyprianum, & Minutium, Latinae Ecclesiae Scriptores, multo post se intervallo reliquisse putatur. Linguarum tantam habuit peritiam, ut Graecam, Hebraeam, Syriam, Chaldaeam, & Latinam omnes aeque, ac Dalmaticam sibi maternam linguam teneret. Sed cum de Philosophorum scholis, nempe de Peripateticis, Academicis, Stoicis, nil reliquisset intactum, contulit se ad sacrarum literarum studia, in quibus sub Apollinari Leodiceno, Didymo Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno praeceptoribus, tantam sibi divinarum rerum eruditionem comparasse fertur; ut in obscuris utrius-

Hieronymus veluti Sancto Spiritu afflatus, omnium loquebatur linguis.

utriusque ſacri Codicis difficultatibus, Romanus Hierarcha Damaſus, doctiſſimus Auguſtinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multique alii paſſim per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Palaeſtinam, & Graeciam eruditiſſimi Epiſcopi ad hunc unum confugerent, nempe ad eum, qui omnium linguarum veluti charismatum dono afflatus, omnes legiſſet Divinae Scripturae Interpretes, Graecos, Hebraeos, & Latinos.

Auguſtinus admirabili ingenii acumine praeditus, omnibus liberalibus diſciplinis, quibus continentur ingenuae adprimè inſtructus; divino Platoni a Philoſophia pleniſſimè imbutus; in Sacris Scripturis, longe omnium, ſi Hieronymum excipias, eruditiſſimus, ac in earundem explanatione, ultra quam dici quaeat, incomparabili ſublimitate ſublimis. S. Augustinus.

Claruerunt circa ea Hieronymi, & Auguſtini tempora, ex Poëtis Claudianus, cujus ingenium, & eloquentia licet aevo inciderint jam Claudianus.

procliviori in vitium : nemini tamen ab ipso Augustaeo aevo, puritate, & magnificentiâ sermonis cessurus est.

AUSONIUS. Ausonius genere Gallus, Imperatoris Gratiani Praeceptor, doctrinâ singulari, & summâ ingenii suavitate praeditus ; sed propter ejusdem temporis, quo vixerat, infelicitatem, verbis, & parum Latinis, & parum Latine junctis usus est.

A. PRUDENTIUS. Claudianum & Ausonium subsecuti sunt, prae ceteris, Aurelius Prudentius, Pindarus Christianus dulcissimus, & prudentissimus nuncupatus, in cujus Poëmatis viget & spirat ardor pietatis, & eruditio, & gravitas Christiana, & flexanima divinitus efflati pectoris eloquentia, ad ciendos in animis legentium affectus pios efficacissima, ut advertit David Chytraeus in Regulis studiorum. Utitur interdum vocibus peregrinis, & maxime Graecis ab Augustaei seculi puritate longe remotis.

SIDONIUS APOLLINARIS. Sidonius Apollinaris Avernorum Episcopus, Aviti Imperatoris gener, ac

ac Theodorico Gothorum Regi perfamiliaris; ſumma morum ſanctitate, Rhetoricis, & Poëticis literis excultus, acris ingenii vir, & cothurnatae eloquentiae, ſed ſtylo duro & obſcuro prae corrupto a Gothis ſeculo. Ejus opus vigintiquatuor Poëmatium Muſis, & Apolline dignum recenſetur, quod ex opere egregio, & ex laureatâ, quam in Trajani Foro meruit ſtatuâ oſtendi poſſe teſtatur Voſſius de Poëtis Latinis.

MARTIANUS CAPELLA.

Martianus Felix Capella, qui utpote peregrinus, in Latine ſcribendo infelix; utiliſſimus tamen auctor ad veterum de ſingulis artibus liberalibus, ſententiam capiendam.

PLANCIADES FULGENTIUS.

Fabius Planciades Fulgentius ſequioris aevi Scriptor non contemnendus, qui in libro, cujus titulus: *Expoſitio Virgilianae continentiae, mirabili induſtria*, ut ait Trithemius, *aurum in luto quaeſivit, & invenit, dum opus Poëtae ad phyſicam rationem inclinavit*. Sed duo alia opera elaboraſſe fertur, nempe *Mythologiarum* unum *ad Catum Pres-*

Digitized by Google

Presbyterum Carthaginiensem; & *de obstrusis antiquorum sermonibus*, alterum *ad Chalcidium Grammaticum*.

SEVERINUS BOETHIUS.

Iisdem temporibus, nempe Anastasii Imperatoris, & Theodorici Gothorum Regis claruit Severinus Boëthius, Anicius ex nobilissima Torquatorum Familia, cui sane inter Graecos, & Latinos seculi sui, nemo fuit in omni genere sapientiae par, quod liquido ex ejus monumentis constare potest. Lingua ejus adeo politiori seculo conformis videtur, ut Valla, solitus qui parcere nulli est, illum Latine loqui doceat, teste Julio Caesare Scaligero in Hypercritico. Hic cum Ticini exilio viveret, scripsit quinque libros de consolatione Philosophiae, sed cum suspectus esset ipsi Theodorico Regi, quasi studeret recuperandae libertati, jussu ejus cum socero Symmacho interemtus est.

M. AURELIUS CASSIODORUS.

Inter hanc eandem Gothici seculi barbariem, veluti sidus quoddam eluxisse dicitur Marcus Aurelius Cassiodorus Senator, Tricius Romanus, Senator & Theodorico charissimus, ei-

eique a ſecretis & epiſtolis, inde Monachus, & Abbas Ravennatenſis Coenobii : *Vir*, ut inquit dignitate, & literis eximius Johannes Bona, *gravis, & ſolide doctus, cujus ſacrae, & prophanae lucubrationes plenae ſunt jucunditatis, & gratiae.*

Caſſiodori aequalis fuit Juſtinianus, qui a Juſtino Thrace avunculo nobiliſſimus primo, deinde Caeſar, & Auguſtus pronunciatus, tandem triennio poſt ad imperium evectus eſt. Hic, oblatis ſibi ducibus maxime ſtrenuis, Beliſario ſcilicet, atque Narſete, licet Perſas coërcerit, Vandalos ex Africa ejecerit; Hunnos Thraciam vaſtantes extremâ clade adfecerit; Gothos ſubegerit; Italiamque a Totila, variâ & improbâ laceratam dominatione receperit, barbariem tamen, quae altas ob longam graſſationem, radices fixerat, haut potuit prorſus extinguere. Devictis itaque Barbaris nationibus, ac reſtituto priſtino Romano Imperio ſplendore, ac quiete partâ, miro ardore ſe contulit ad redigendum Jus civile in eum or-

JUSTINIANUS IMPERATOR.

ordinem, quo nunc utimur; electis ad id negocii praestantissimis viris, qui immensa, ac praeclara illa veterum Jurisprudentum, & Legumlatorum monumenta, quae ad duo fere millia librorum fuisse constat, summo totius Orbis bono, in quinquaginta mire digessit, & concinnavit, quos modo Digesta, modo Pandecta, quod omnem civilem doctrinam contineant, appellamus. Sed dignum se imperio ostendit Justinianus tum maxime, cum suscepto imperio, statim templa destructa reparavit, ac vindicem se acerrimum haereseon, quae ejus temporibus vigebant, professus est, nimirum Eutychetis, Nestorii, Arii, & Porphyrii, illius nempe, quem utpote rabidâ contra Christianam veritatem debacchatum insaniâ, rabidum adversus Christum, canem appellavit Divus Hieronymus (1).

Uni Jurisconsulti veluti depositam latinae linguae puritatem adservarunt.

Ceterum uni Jurisconsulti, veluti depositam linguae puritatem, atque id ex formularum solemnitate,

(1) Hieronymus in *Catalog. Scriptor. Eccles.*

Digitized by Google

te, conservârunt; unde cum eis interpretandi necessitas in assidua legum antiquarum, & veterum vocum investigatione detineret, eorum dicendi stylo, praecipue in quinquaginta Digestorum, seu Pandectarum libris, nullus sane, eruditorum omnium judicio, purior, aut elegantior invenitur; ut nihil eorum orationem priscâ verborum proprietate, & dignitate concinnatam, Tribonianus interdum sui seculi sordibus infuscasset, nihil eorum scripta legentibus occurreret vitiosi; hinc festive ansam adripuit Laurentius Valla (1) emunctae naris; acrique judicio grammaticus: *Perlegi*, inquit, *proxime quinquaginta Digestorum libros, ex plerisque Jurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi cum libenter, tum vero quâdam cum admiratione. Primum quod nescias, utrum diligentiane, an gravitas, prudentia, an aequitas, scientia rerum, an orationis dignitas praestet, & majori laude*

Tribonianus sui seculi sordibus Jurisconsultorum orationem infuscavit.

Laudantur a Valla Jurisconsultorum volumina ab elegantia.

(1) L. Valla in *praefat. in III. lib. elegant.*

Digitized by Google

de digna esse videatur. Deinde, quod haec ipsa ita in unoquoque illorum omnia sunt egregia, & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui praeferendum putes. Cui simile quiddam (ut de ultima tantum parte, quae ad nos pertinet, dicam) in Epistolis Ciceronis admirari solebam, quae cum a pluribus scribantur, omnes tamen ab uno, eodemque (audacius dixerim) si personas sustuleris, ab uno Cicerone scriptae judicentur; ita verba, ac sententiae characterque ipse dicendi ubique sui est similis. Quod eo magis in Jurisconsultis est admirandum, quod illi eâdem aetate cuncti extiterunt, in eodem quasi ludo, ac schola instituti. Hi vero inter se etiam seculis distant, licet omnes post Ciceronem: Ideoque quibusdam in verbis ab eo differentes, quales omnes a Virgilio usque ad Livium fuerunt. Nam Servii Sulpitii, atque Mutii Scaevolae nihil extat, sed alterius Mutii retentioris. Et prisci illi quidem Jurisconsulti quales, quantique in eloquendo fuerint, judicare

Digitized by Google

dicare non poſſumus, quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus verſantur, nihil eſt, meâ ſententiâ, quod addi, adimive poſſe videatur, non tam eloquentiae (quam quidem materia ſua non magnopere patitur) quam Latinitatis, atque elegantiae, &c.

Sed nil optabilius hîc meminiſſe, ex quo praeclara illa veterum Juriſconſultorum, & Legislatorum autographa monumenta, jamdudum a tot ſeculis ſepulta tandem in Amalphiae expugnatione Lotharii temporibus, poſt diuturnam noctem inopinato adinventa fuerunt, GERARDO CAJETANO Piſarum Conſule, ingentis armatae Claſſis Duce invicto, ab ea Republica adverſus Rogerium ejuſdem Lotharii precibus miſſo, quae praemio bene navatae operae ſibi, ſuiſque exoravit, non ab alio, primam, & praecipuam lucem accepiſſe, quam a viro egregio, & de divinis, & de elegantioribus literis, ac de ſacra Republica optime merito, noſtro olim Alliſano Antiſtite Antonio Auguſtino,

Repertis Amalphiae Pandectarum libris, Piſani, qui ingenti claſſe, Gerardo Cajetano Duce, Lotharium Saxonē contra Rogerium adjuverant, ſibi exorarunt, eoſque Piſas praemio bene navatae operae importārunt, indeque Florentiā translatos, ubi pro Auguſta Medicaeae Domus magnificentia, in Muſaeo magni Ducis adſervari, notum eſt.

Digitized by Google

ſtino, quem ſane Juris utriuſque lucernam, quis non dixerit?

De linguae Latinae interitu.

Sed tandem ad propoſitum redeamus, lingua intermortua eſt, ubi cum linguis Barbarorum, qui Italiam occuparunt prorſus confuſa eſt, ex qua confuſione, haec noſtra vernacula, quae Italica appellatur, orta eſt.

Verum ne quid, quod ex re, & ad rem ſit, neglexiſſe cuiquam merito videamur, non ſine operae pretio adnotatum velim, quod Latina lingua cum per tot ſecula ſqualida, inculta, & veluti Gothorum rubigine exeſa jacuiſſet, tandem circa medium decimiquarti ſeculi, Franciſcus Petrarcha, Aretinus, Archidiaconus Parmenſis, inde Canonicus Patavinus, Etruſcae Poëſeos ſine controverſia Princeps, Laurae amoribus celeberrimus; eam omni ope, ac ſtudio una cum humanioribus diſciplinis, priſco candori reſtituere eſt adgreſſus; ut non immerito P. Buſſierius (1) profeſſione Je-

Franciſcus Petrarcha Latinam linguã pene ſepultam cũ literis humaniorib. ab interitu vindicavit, & priſco eloquẽtiae ſplendori reddidit Italiam.

(1) P. Buſsierius Floſcul. *hiſtor. par. II. cap. V. ad ann. MCCCXXII.*

Digitized by Google

Jesuita, genere Gallus : *Circa hæc tempora*, inquit, *sidera duo fulgebant in Italia benignissimâ luce : alterum Robertus Neapolis Rex Caroli I. ex filio nepos, virtutibus regiis cumulatissimus, nec privatis infra Reges inops : doctrinâ & amore in literas, atque literatos : ornavitque Deus felicitate virtutes, scriptis literati, ut famam amplam, & meruerit, & adsecutus sit. Lumen alterum Franciscus Petrarcha, qui Florentinus ortu, educatione Avevionensis quamplurima scripsit versu, & prosâ, linguâ patriâ, & latinâ ; Laurae amoribus celeberrimus. Huic intermortuae literae vitam debent, quas contemtui habitas commendatissimas fecit. Diu jactatus variâ fortunâ, tandem in secessu Patavino consenuit, cumulans studia pietate, dignus cui terrarum Orbis de instauratis literis trophaeum poneret.* Hinc Petrarchae tanta fama fuit, ut inquit doctissimus Chronologus Philippus Brietius Jesuita (1),

Robertus Rex literarū, ac Literatorū amator.

(K) ut

(1) Philipp. Briet. *Annal. ad ann. Mundi MCCCXLI.*

ut non tantum Principibus acceptissimus esset; sed ad eum videndum multi ex variis nationibus confluerent. Et merito nam multarum rerum prudens, doctusque fuit; imo vero nulla ex doctrinis homine libero digna, in qua vel audiens, vel per se inhians, non magnopere profecerit, ut Phoebi nectar, Musarum corculum, priscae eruditionis decus, literarum delicium, omniumque memoriâ dignus haberetur; qui & ob egregiam Latini Carminis laudem in Capitolio Romano lauream coronam publico totius Italiae favore, cujus scilicet reflorescentis eloquentiae princeps fuerat, consecutus est.

Petrarcha ob egregiam latini carminis laudem, laureâ coronâ insignitus.

Sed post Petrarcham, qui bonarum artium institutionem, Italiâ jamdiu abactam, atque exulantem a veteribus fontibus accersivit, atque literarum studiis longo jam tempore intermissis revocatis, ejus exemplo passim ducti, & genere & ingenio praestantes viri, omnem operam Latinis impense dediderunt: quippe iis, qui Latinâ linguâ eloquentes esse meditabantur, in hoc po-

tis-

Digitized by Google

tiſſimum primum elaborandum fuit, ut latine, pure, & quammaxime ex veterum Romanorum uſu, & conſuetudine loquerentur. Sed tandem literis jam latus attollentibus, dexteram porrexêre Eugenius IV. & Nicolaus V. Summorum Romanorum Pontificum de elegantioribus literis optime meriti; Coſmas, Julius, & Laurentius Auguſtae Medicaeae Familiae Principes, qui ut levandae literaturae opus feliciter procederet, ſummâ munificentiâ, non ſolum doctis viris ingentes opes, & alimenta ſuggerebant; ſed Veterum libris, profuſis ſumtibus, toto Orbe diligenter exquiſitis, ac unde fuerant barbarie rejecti, veluti poſtliminii jure reſtitutis, convaleſcentes ſcientiarum radices irrigabant. His itaque Ducibus humaniores literae omnem Italiam pervagatae trajecerunt Alpes, ut, non ex Italia modo, ſed e remotiſſimis quoque regionibus, priſcum Latinorum ingenium eluxerit; nam ut Muretus inquit (1):

Ingentes opes doctis viris miniſtratae a Romanis Pontificibus, ac Medicaeae Familiae Principibus confirmandae invaleſcentis literaturae cauſsâ.

(1) M. Antonius Muretus *orat. XIV. vol. II.*

Poſt reſtitutas a Medicaea potiſſimum Familia literas, infinita quaedam vis extitit hominum, in omni genere eruditorum, qui ſummis ingeniis praediti tam multam in latine loquendi ſtudio operam poſuerint, ut id prope unum operis habere viderentur.

Verum poſt Petrarcham, vindices Latinae linguae in priſtinam reſtituendae majeſtatem celebriores recenſentur Aeneas Sylvius natione Thuſcus, patriâ Senenſis ex illuſtri Piccolominaea Familia, qui inde ob eximias tum animi, cum corporis dotes, omnium ſuffragio ad Petri Sedem evectus eſt, & Pius II. eſt appellatus.

AENEAS SYLVIUS.

Johannes Picus Mirandulanus, Comes vere mirandus, utpote qui Princeps fuerat omnibus corporis, animique dotibus excellentiſſimus, comis, facetus, morumque integritate, & gratiâ omnes ad amicitiam, & ſui admirationem pelliciens.

JO: PICUS MIRANDULANUS.

Nicolaus Leonicenus Orator, Philoſophus, & Medicus eximius, primuſque, qui Graeca Galeni volumina

NICOLAUS LEONICENUS.

Digitized by Google

lumina latine interpretatus est, & Commentariis illustravit.

Hermolaus ex illustri Barbaro- HERMOrum apud Venetos Familiâ : cujus LAUS BARnobilitas excellenti doctrinâ, & re- BARUS.
rum publicarum usu aequata est. Percharus fuit Alexandro VI. Borgiae Pontifici Romano, a quo, adprobantibus omnibus Cardinalibus, & Ecclesiae Praesulibus, Aquilejensis Patriarcha creatus est. Hoc ejus Epitaphium:

BARBARIEM HERMOLEOS LATIO QUI
DEPULIT OMNEM,
BARBARUS HIC SITUS EST. UTRAQUE LINGUA GEMIT.
URBS VENETUM VITAM, MORTEM
DEDIT INCLYTA ROMA:
NON POTUIT NASCI CLARIUS,
ATQUE MORI.

Marsilius Ficinus Florentinus: MARSI-
Cujus longe felicior, quam Thracen- LIUS FICI-
sis Orphei cithara, ut inquit Poli- NUS.
tianus, *veram, ni fallor, Eurydicen, hoc est ampliſſimi judicii Platonicam ſapientiam, revocavit ab inferis.*

Jovianus Pontanus Alphonsi ju- JOV. PONnioris, TANUS.

nioris, Regis Neapolis Praeceptor, eique ab epistolis; cui Erasmus in Ciceroniano, Ciceronianae dictionis palmam tribuit, seque ab eo rapi fatetur, placido quodam orationis lapsu; verborumque dulce quiddam resonantium amoeno tinnitu demulcente aures.

ANGELUS POLITIANUS. Angelus Politianus a Monte Politiano Etruriae Oppido, sic appellatus, Canonicus Florentinus, Johannis Pici Mirandulae Studiorum comes, a Laurentio Medicaeo filiorum institutioni praepositus; quorum se tanto magistro dignum praebuit Johannes; qui in literis tantum profeciſſe perhibetur; ut ad Petri sedem evehi meruerit, sub nomine Leonis X.

JACOBUS SANAZARIUS. Jacobus Sanazarius Neapolitanus, Patre Equestris Ordinis viro claro inter suos, & luculentarum facultatum.

MAFF. VOLATERRANUS. Raphaël Maffaeus Volaterranus, vir habitu corporis, ut traditur, venusto, facundia elegante, & morum gravitate, vitaeque sanctimonia clarus.

Tho-

Digitized by Google

Thomas Linacer Anglus insignis literaturae cultor, & amator, Henrici VII. & VIII. Medicus. THOMAS LINACER.

Petrus Bembus Venetus, cui praeter illustrem sui generis nobilitatem, accessit, & doctrina singularis, facundia admiranda, & summa vitae integritas. Quae fortunae, animique dotes eum patriae, totique Italiae commendarunt: Romanis potissimum Pontificibus Leoni X. & Paulo III. qui ut ejus nomen gloriae splendidioris titulo ornaret, & augustius redderet, Romanae Ecclesiae, Senatusque Apostolici Cardinalem creavit. PETRUS BEMBUS.

Thomas Morus Londinensis magnus Angliae Cancellarius, ac primus Minister justitiae sub Henrico VIII. verum quoniam ipsius Regis divortium approbare nollet, post diuturnos carceres, capite plexus est. THOMAS MORUS.

Jacobus Sadoletus nobilibus parentibus Muticae Urbe Italiae natus; omni disciplinarum genere, omni literarum cultu longe praestans, ut merito a Clemente VII. Pontif. Max. in Cardinalium Col- JACOBUS SADOLETUS.

Digitized by Google

legium magnâ ipſius Apoſtolici Senatûs laetitiâ, & gratulatione fuerit cooptatus.

GULIELM. BUDAEUS. Gulielmus Budaeus Lutetiae Parisiorum celebri literarum domicilio natus, Civilis ſapientiae, & Juriſprudentiae laude celeberrimus, Senator Regius, ſupplicumque libellorum in Regia Magiſter, qui cum perennem ſpectaret laudem, & rei familiaris fortunas, honoresque aulicos ingenio ſuo, & ſperatâ gloriâ multo arbitraretur viliores, ſexaginta, & amplius annis in ocio literario conſumtis: morum praeterea ſanctimoniâ, & vitae inculpatae inſignis innocentiâ, pie, tranquilleque vitâ exceſſit.

GREG. GYRALDUS. Gregorius Gyraldus Ferrarienſis, vir memoriâ invictâ, ingenio excellenti, eruditione in omni literarum genere eximiâ inclytus, quare ſui temporis Varro dici meruit.

H. FRACASTORIUS. Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, qui inter liberales diſciplinas Poëticam ita excoluit, ut ad Virgilianam majeſtatem proxime adceſſiſſe eum fateantur aemuli: & in iis

Digitized by Google

iis Jacobus Sanazarius, alioqui parcus, & amarulentus alienae eruditionis laudator, qui, visâ ejus *Siphillide*; non ſolum Johannem Jovianum Pontanum, ſed ſe quoque ipſum in opere accuratâ novendecim annorum limâ perpolito, victum exclamaſſe fertur.

Andreas Alciatus nobili genere natus, Juris Caeſarei, & omnium ſtudiorum decus. A. ALCIATUS.

Julius Caeſar Scaligerus ex antiquiſſima Scaligerorum, Principum quond. Veronenſium, Familia oriundus, Grammaticus, Criticus, Poëta excellens, Philoſophus eruditiſſimus, alter in Medicina Aeſculapius, Eraſmi Reterodami adverſarius acerrimus. JUL. CAESAR SCALIGER.

Ceterum poſt hos, horumve ſimiles, qui proxime a Petrarcha, & inde, Romanae illuſtrandae antiquitati bene navarunt operam, brevi innumerabilis hominum multitudo per Belgium, Germaniam, Galliam, Britanniam, omnemque Italiam effloruit, qui illorum exemplo incitati, eorumque diſciplinâ, ac prae-

Digitized by Google

praeceptis exculti, prae ceteris ſtudiis, Latinam eloquentiam complexi ſunt, ac Ciceronis in dicendo divinitatem ita ſuſpexerunt, ut ei ſe totos dediderint, atque ſitienti juventuti fontes eloquentiae recluderent, & a Principibus, inter quos praecipue enituit Leo X. qui majorum ſuorum veſtigia ſecutus, auream illam eloquentiam, quam nova ſermonis contagio profligavit, in Italiam reſtituit, ut propterea a S. P. Q. R. ſtatuam in Capitolio meruerit, maximi honores iis, qui Latinam linguam egregie praeter ceteros callerent proponerentur. Hinc eſt quod olim colluvie Barbarorum extinctâ prorſus cum legibus moribuſque Romanis Latinâ linguâ; tandem ubi ingenio praeſtantes viri, acriora ſtudia ad literas flexerunt, atque Codicibus Romanarum legum longo poſt tempore repetitis, mores ſimul, & jura vetera revixerunt; emerſit etiam lingua Latina, ut ſtudioſis vetuſtatis hiſtoriarum, & juriſprudentiae lucem accenderet. Cui ſane negocio plurimum con-

Cum moribus, legibuſq; Romanis emerſit Latina lingua.

Digitized by Google

contulerat ſummus labor, & induſtria noſtri Antonii Auguſtini, qui ortum quidem ab Caeſarea Auguſta Celtiberiorum traxit, uberiorem vero doctrinam, & gloriam in Italia; Bononiae enim ſub ſummo Juriſconſulto Jo: Paulo Pariſio Conſentino, & Alciato; Patavii ſub Mariano Soccino ſcientiam hauſit; ab eo Pandectae Florentinae, utdiximus, Gratianus, utrumque Jus, praecipuam lucem acceperunt. Maxima enim in illo fuit cognitio Antiquitatis, ſumma ſcientia Juris antiqui, legumque Romanarum, & Familiarum: multae in eo, ut Romae natus videretur, literae, & elegantia ſermonis Latini, ut teſtantur ipſius in Varronem de lingua Latina emendationum notae; cujus ſane, ut inquit Adrianus Turnebus, vindex, aſſertor, patronuſque unicus habendus, imo vero ejus potius Aeſculapius. Teſtatur ipſius Sext. Pomp. Feſti fragmentum, quod ex Bibliotheca Farneſiana juris publici fecit cum eruditis notis. Teſtantur emendationum, & opinionum Juris Civilis

Recenſentur Antonii Auguſtini laudes.

vilis libri quatuor ad Modeſtinum: Antiquae Collectiones Decretalium, cum notis eruditis: Epitome Juris Pontificii veteris pars I. & ut alia omittam, Concilia Graeca, & Latina, necnon Bibliotheca Latina, Graeca, Mixta Tarraconae manu exarata anno ſuperiore, antequam e vita migraret. Hinc haut temere eximium virum nec doctrinarum tantum, ſed morum etiam eluendis maculis natum dicas; tanto ardore, atque ſpiritu in Tridentino Concilio, adverſus temporum corruptelas, pro priſca Patrum diſciplina dimicavit (1)! Cetera de hoc viro literis, & dignitate egregio, ſi vita & facultas dabitur peculiari tractatione dicemus in noſtra de celebrioribus Allifanis Antiſtitibus Hiſtoria, cum jam ſylvam rerum, factorumve ad noſtrae memoriae monumentum, & lumen tribuendum ex ſatis idoneis Auctoribus a nobis Neapoli degentibus collectam, ad manum habeamus.

Omnes Antonii Auguſtini laudes recenſendae in Hiſtor. celebriorū Epiſcoporum Allifanorum; pro qua rerū ſylvam collectam, ad manum habet Auctor.

Sed

(1) Andr. Scott. in *orat. funebr. Ant. Auguſt.*

Digitized by Google

Sed nec parum ad Latinae linguae firmitatem, & uſum contulit auctoritas Eccleſiae Romanae, quae Graecis diſciplinis auctoritatem Latinarum literarum oppoſuit, quâ veluti notâ quâdam juriſdictionis, & imperii, ſuos a Graecorum moribus, ritibuſque diſcrevit: ut quo latius Eccleſiae Romanae poteſtas excurreret, eo altius ſermonis dignitas emineret. Cum itaque Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, Liturgicae nobis Theologiae pro Divinis Miniſteriis ſancte tractandis, latinis literis, praeſcriptiſque formulis praecepta conſignet, factum eſt, ut neceſſitate cogeremur eam linguam addiſcere, quâ eadem Eccleſia in his tradendis utitur; alioqui Eccleſiae miniſtris ejus linguae ignaris id mihi videretur accidere, quod ait Paulus (1) Juriſconſultus: *In ambiguo ſermone, non utrumque dicimus, ſed id dumtaxat, quod volumus. Itaque qui aliud dicit quam vult,*

Latinae linguae firmitati plurimum contulit Auctoritas Eccleſiae Romanae.

(1) Paulus Juriſconſult. *L. III. ff. de reb. dub.*

Digitized by Google

vult, neque id dicit, quod vox significat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur. Hinc merito Sacri Canones illiteratos veluti indignos Divinis Ministeriis exercendis, in irregularium catalogo recenserunt; Sacerdotes enim scientiae repulsores depositione sui Deo sunt poenas daturi, qui apud Oseam (1) Prophetam sic loquitur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Graecae linguae utilitas & necessitas.

Sed Graecam linguam, nec penitus ignoremus, oportet, tum quia non aliunde linguam Latinam, quam a Graeca, veluti a proprio fonte eruere licebit, tum quia a Graecis scientia omnis, & eruditio profecta est ad Latinos, quorum linguae studium nusquam fuit ab abstrusa Graecarum literarum cognitione sejunctum, quasi cum ea perpetuum elegantiae foedus iniisset.

Quod autem de Graeca lingua dictum est, idem nonnulli de Hebraica

(1) Osea cap. IV. 6.

braica dicendum putarunt, cujus nempe peritiam omnium maxime neceſſariam clamitant ad intelligendos Codices ſacros. Sed cum Evangelica doctrina Graece propoſita fuiſſet ab Apoſtolis, ac Chriſti Diſcipulis, Graeca lingua ſatis Patribus, nobiſque eſſe poteſt, ut divina dogmata, ſacraeque Chriſti ac Apoſtolorum leges recte perciperentur. Ceterum quoad vetus teſtamentum adtinet, vulgata verſio τῶν LXX. ab Apoſtolis ipſis uſurpata, & Vulgata Latinorum, ſatis atque abunde exhibent omnia Scripturae loca, quae alicujus momenti eſſe videntur, ſive ut erudiamur totâ Scripturarum Doctrinâ ac Hiſtoriâ, ſive ut Judaeos, Haereticoſque refellamus. Quae vero illic indigere videntur eâ Linguarum, & Criticis ſcientiâ, quam tantopere quidam efferunt, τερατεύονται ſunt, laudanda quidem; at numquam ejus neceſſitatis, quam ſibi nonnulli ſomniant; cum conſtanter adfirmare licebit, nullum vel de Deo, Diviniſque legibus, & decretis, vel de Chri-

Hebraicae linguae peritia laudanda.

Digitized by Google

Christo, ejusque adventu, operibus, ac documentis e Sacra Scriptura dictum produci posse, ad quod intelligendum, explicandum, & propugnandum non pervenerint Sancti Ecclesiae Patres, & nobis satis non sit, ac perpetuo satis non fuerit ad ejus intelligentiam Graeci, aut Latini textus vulgati fides.

De necessitatae Italicae linguae, ejusque ortu, & progressu.

De cetero, quanta nobis sit Etruscae linguae necessitas, utpote quâ innascimur, quâve omne nos inter commercium agitamus, non est ut pluribus doceamus; satis enim superque erit, si meminerimus, cuique linguae venerem quandam, ac nativum inesse nitorem, quem sane nonnisi Civibus consequi est concessum. Sed ejus linguae originem cum turpe nobis sit ignorare, meminisse haut pigeat, quod intermortuâ, uti diximus, Latinâ linguâ, ubi Barbarorum colluvies Italiam occupaverat (quae Italia, sermonis majestatem simul & moribus, & legibus tunc exuta suis, jugum imperii, legumve subiit barbararum, dominaque rerum humanarum sen-

su

Digitized by Google

ſu priſtinae libertatis, veteriſque magnitudinis per longam eorundem dominationem privata, barbaram linguam loqui, pudendas leges, ſeu potius Barbarici ingenii libidines ſuſcipere, atque ferinis veluti moribus debacchari coacta eſt) minime defuiſſe, qui ſenſim ex enata monſtruoſa Latini ſermonis cum tot Barbarorum linguis confuſione (ex qua nedum haec noſtra Italica, ſed & Franca, & Hiſpana, & Valachica, ut apud Cornelium Alapidem docet Genebrardus, ducit originem) verba ſelegerint, e quibus aptior, & concinnior, quo ſeſe inter, commercium agitarent, conflaretur ſermo. Quod ſane, cum non mediocri induſtria effectum eſſet, tum maxime cum ſe Italia ab improbo tyrannidis jugo ſubducere conabatur, ad Dantis Aligherii uſque tempora; per quem ipſi Italiae remiſſa eſt priſtina doctrina, atque eloquentiae lux, e cineribus Graecorum, & Latinorum in vernacula divini Poëmatis lingua feliciſſime renaſcens; tandem exortis praeſtantiſſimis in-

Italicae linguae ortus.

Digitized by Google

genio, & doctrinâ viris Franciſco Petrarcha, & Johanne Boccacio, adeo creviſſe conſtat ejus linguae cultum, ac nitorem, ut id oſtendere, non ſit opus. Inde horum exemplo ducti quotquot fuêre hac noſtra in Italia viri ingenio, & literis exculti, veluti Jacobus Sanazarius, Petrus Bembus, Johannes Caſa noſter olim Allifanus Antiſtes, Torquatus Taſſus, aliique innumeri, qui nedum prosâ, ſed & eo quoque Carminis genere, quo circumdata ſapientia, ſuavius mellea dulcedine, animi ducuntur, eam linguam excolere ſunt conati. Nec defuit, qui circa eorum tempora montibus in noſtris, dulci amoeni Etruſci Carminis tinnitu, docuerit formoſae, caſtaeque reſonare Valles Myrtiae laudes.

Italicae linguae progreſſus.

Praecipui Italicae linguae cultores.

LUDOVICUS PATERNUS.

Ceterum nec defuêre praenobiles foeminae ad miraculum doctae, quae per omnem Italiam feſtivis, ac venuſtis carminibus linguam Etruſcam percelebrem effecerunt; & ut omittam noſtrae aetatis Heroinas, inter quas praeluxêre ANNA MARIA

RIA ARDOINA, & AURORA SANSEVERINA acri profecto ſupra ſexum judicio, ac ſingulari gratia, toto pene terrarum Orbe conſpicuae; non eſt ut meminiſſe pigeat VICTORIAE COLUMNAE, CONSTANTIAE AVALAE, DIANORAE SANSEVERINAE, LAURAE TARRACINAE, MARIAE SPLNOLAE, ELEONORAE CIBAE, HIPPOLYTAE CONSAGAE, BALTHASSARAE MEDICAEAE, ELISABETHAE MORRAE, aliarumque, quarum ne longius excurramus, non eſt ut hîc longus retexeatur catalogus. Ad rem noſtram.

Heroinae Etruſcâ Poëſi, ac literis olim conſpicuae.

Quae hactenus dicta ſunt eo pertinent, ut & ſcientiarum, reique Latinae originem; & in quibus ipſa conſiſtat; & quaenam fuerint ejus aetates, quarum unaquaeque ſuos habuit eventus, ſua ingenia, & ſuos loquendi modos; & quinam in unaquaque, elegantiori, politiorive ſtylo uſus eſt, probe dignoſcamus. Videndum nunc, quomodo comparetur; olim enim adquiri poterat auditu ſolo, quia paſſim pueri quoque, & mulierculae linguam

Quomodo Latina lingua comparetur?

Digitized by Google

loquebantur Latinam, quam a matribus, nutricibuſque, quibuſcum adoleſcebant, docebantur; nunc non item. Superſunt itaque duo modi, quibus praecipue Latine diſcamus: diligens nempe bonorum Scriptorum lectio, & eorundem imitatio. Ut ergo Latinam linguam rite comparemus, poſt Grammaticorum praeceptiones (quarum comtiores, ac utiliores recenſentur, vel quas tradit Gerardus Johannes Voſſius in ſua Grammatica minori; vel quas compilavit Nova Methodus Gallice conſcripta, nuper vernaculâ linguâ ad uſum Alumnorum Venerabilis, eximiique Seminarii Neapolitani a doctoſane, ac eruditiſſimo viro Januario Majello Archicathedralis Eccleſiae Canonico digniſſimo, illuſtrata) quae, uti diximus, nihil ſunt aliud, quam ſermonis elementa, animus appellendus eſt ad ipſorum Romanorum Scriptorum lectionem; neque fracta, & perfunctoria quidem, ſed longa nobis cum ipſis conſuetudo intercedat, neceſſe eſt, ut puros putos per eam in ipſos transfor-

Duobus praecipue modis latine diſcimus.

Digitized by Google

formemur. Et hîc quantum fieri potest ab Auctoribus incipiendum, qui ut intelligantur quampaucissimorum subsidio indigent, & qui simul Latinitate praestant, & facili stylo scripserunt.

Unde intelligēdi Auctoris alicujus facilitas oritur?

Facilitas autem ex duobus oriri dignoscitur; ex ipso nempe argumento, & elocutione. Hinc faciles intellectu existimantur res ad communem vitam pertinentes, quae haut multo minus seculo nostro agitantur, quam olim, ut eventus frequentes, aut qui nihil habent nimis inusitatum; vel descriptiones affectuum, qui omnibus seculis sui similes vigent, aliaque similia. Si haec praeterea efferantur sermone quotidiano, non quaesitis figuris, aut accersitis procul ornamentis, facile intelliguntur. Contra, obscuritas nascitur, cum ex rebus inusitatis, & de quibus pauci cogitârunt, aut quae naturâ suâ obscuriores sunt; tum ex sermone a propria significatione verborum remoto, aut structurâ duro, & ambiguitate laborante, aut demum a vocibus,

Unde obscuritas nascitur?

Digitized by Google

quae non dicam obſcuram, ſed nullam plane poteſtatem ſubjectam habent. Hoc obſervare eſt potiſſimum in vocabulis quibuſdam, quae grandia occultare myſteria dicuntur, qualia ſunt *antipathia*, *ſympathia*, *antipariſtaſis*; aliaque id genus multa, ut nihil dicam de ſexcentis ſcholarum diſtinctiunculis, quibus non ſemel veluti datâ operâ utuntur, vel ad praefocandas ſecum colloquentium mentes, vel ut inquiſitio illius rei, quam non intelligunt, veluti propulſetur, adhibentur; quo ſane inani verborum artificio, qui interrogat, aut loquitur arcetur, ne curioſius in alia inquirat. Et tamen, quis crederet? qui iis utuntur, putant ſe luce meridiana clarius rem patefacere, immo & qui eos audiunt, videntur interdum mira audiviſſe, ubi nihil intelligunt; iiſque adſentiuntur, vel potius in vocibus illis acquieſcunt, ſumma propenſione animi & putant ſe verum didiciſſe, cum meros verborum ſonos didicerint!

Voculae quaedam, ac diſtinctiuculae, cur a pleriſque adhibeantur.

Om-

Digitized by Google

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inverſis, quae ſub verbis latitantia cernunt;
Veraque conſtituunt, quae belle tangere poſſunt
Aures, & lepido, quae ſunt fucata ſonore.

Illud vero nos didicimus, non poſſe initio Scriptorem ullum utilius legi Terentio; hic enim res vulgares ſimplici dictione, & elegantiâ quadam nativâ, & gratâ tradidit, utpote qui eo ſermone ſcripſit, quo utebantur Scipio, Laelius, aliique ex Romana nobilitate, quibuscum ille victitabat. Ut is ſermo a ſordibus plebeculae multum abeſt; ita etiam ab omni tumore eſt alieniſſimus; quibus in rebus certat cum eo Phaedrus, qui Senariis verſibus, Auguſti ſeculo Aeſopicas fabulas expreſſit: quippe non videntur nobis initio Poëtae ſublimioris carminis legendi; ſed hi, qui licet metro adſtricti, a quotidiano ſermone non recedunt. Cujus rei ratio haec eſſe videtur, quod ut

Initio nullus Scriptor legitur utilius Terentio.

Cum Terentio certare videtur Phaedrus.

Digitized by Google

linguam probe discamus, prius intelligenda sit propria significatio verborum, quam metaphorica, & oratio simplex, quam figuris ornata. Hic enim est ordo naturae, quem a pueris in discenda lingua vernacula, observari etiam videmus. Contra si priusquam simplicem orationem probe intelligamus, ad figuratam nos conferamus, omnia miscentur; nec proprias verborum, & locutionum significationes tenemus, nisi post longiorem, & majorem laborem. Quinvero proprietate vocum, & phrasium neglecta, in carmine prosae phrases, in prosa oratione poëticas simus adhibituri, quod eos characteres non satis distinguamus. Sed majus incommodum inde fluit, nempe saepissime videntur intelligere, quae non intelligunt, & verborum involucro, interpretati, ita studiosos demorantur, ut non sit facile aestimare, quae tandem Auctoris mens fuerit; quia propriam uniuscujusque vocis significationem non tenent, nec quibus gradibus ex propria in metaphoricas

Ordo in addiscenda Latina lingua idē, quem in vernacula, natura suppeditat.

Alterum incommodum ex proprietatis vocum, & phrasium neglectu.

Digitized by Google

cas ſenſim tranſierint, norunt. Interdum enim ex propria ſignificatione magis, aut minus receditur; & plures etiam latent in una voce alluſiones. Celebris eſt Horatii (1) locus, ubi dicit virtutem deferre Regnum uni,

Quiſquis ingentes, oculo irretorto
Spectat acervos.

Plurimum ſe torsêre Interpretes, inquit Johannes Clericus, ad inveniendam propriam ſignificationem vocis *irretortus*, licet viderint hîc ſignificari *oculos abſtinentes*. Sed non intellexerunt, quare oculi abſtinentes dicantur *irretorti*, quod propriam vocis ſignificationem non ſatis attenderint; unde idem Clericus, ad duo hîc Horatium reſpexiſſe, ait, nempe ad deſcribendum opum contemtorem, & delineandum oculos Stoicos. Et ſane *torquêre* nihil aliud ſonat, quam *inflectere*, *convertere*; unde *torquêre oculos*, eſt dextrâ, ſiniſtrâve movere, ut quod praeteritur, vi-

Quaenam propria ſignificatio vocis *irretortus*.

(1) Horatius *lib. II. od. II.*

Digitized by Google

videamus. Venusinus itaque ille Vates, describens opum contemtorem, quasi praetereuntem acervos auri, nec eos dignantem spectare, *non torsit*, inquit, *oculos cum transiit*, quod a cupidis solet fieri.

Deinde alluſit idem Poëta ad seriam Stoicorum gravitatem, ex quorum sententia loquitur, ut patet ex antecedentibus versiculis. Leve enim vulgus cupiditatibus suis, quasi ventis, huc illuc versat oculos; non potest defixum in unam rem objectam haerere, sed quavis de causa huc illuc circumfert adspectum. Contra, philosophicae gravitatis fuit fixos habere oculos, quales sunt, cum de re quapiam attente cogitamus, ut apud Aulum Gellium (1) narratur Socrates stare solitus, a summo lucis ortu ad Solem alterum orientem.

Philosophica gravitas.

Non dissimilis difficultas occurrit in hoc Epigrammate Martialis (2) ad

(1) A. Gellius *lib. II. cap. II.*
(2) Martialis *lib. VIII. epigr. XXV.*

Digitized by Google

ad ſuum Caeſarem Domitianum; ubi ob eandem adlatam ſuperius rationem:

.....pauci, quos aequus amavit Juppiter.....

expedire ſe potuerunt:

Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui colit ille facit.

Talia innumera paſſim ſunt obvia unicuique oculos, vel fractim conjicienti in Poëtarum libros; quae non intelliguntur, quod non recto ordine, in ediſcendis vocum ſignificationibus, progreſſi fuerimus.

Delectis itaque ex Latinorum Scriptorum libris, quibuſcum longa nobis interceſſerit conſuetudo neceſſe eſt, Latinis vocabulis, ac eorundem Latina ſignificatione probe intellecta, Latino compoſitionis nexu conjungas, operae pretium eſt; ſed hîc opus; hîc labor eſt; enimvero, *habere orationem* dicimus: non facere: *verba facere*, non agere: *agere gratias*, non facere: *ferre opem*, dare opem, non item;

Latina vocabula, Latino cõpoſitionis nexu cõjungenda.

Digitized by Google

item; *dare verba* uſitatum eſt, tradere, ſeu praebere inauditum; *dare malum*, Latine pronunciamus, *facere malum*, hautquaquam. Qua de re a ſtudioſa Latinae linguae juventute adiri poteſt Robertus Stephanus, qui in ſuo linguae Latinae Theſauro, infinitâ quâdam induſtriâ, & inheſauſtis laboribus ex omnium probatorum Auctorum penu, compoſitiones Latinorum verborum Latinas, alphabetico ordine congeſſit.

Latinorum verborū Latinae cōpoſitiones, a quo hauriendae.

At ſi ipſius Roberti Stephani Theſaurum perquiras, invenies profecto, verbum *facere*, cum verbo *copia*, junctum apud proſae Scriptores, ſed cum alio verbo minime, niſi apud Poëtas; hinc Virgilius (1):

Affari extremum miſerae data copia Matri.

Item (2):

Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi.

Et

(1) Virg. Aen. *lib.IX.*
(2) Item Aen. *lib.I.*

Digitized by Google

Et recte quidem, nam licet elocutio, vel Ariſtotele teſte, a Poëtis profecta ſit ad Oratores; multum tamen horum, illorumque elocutio diſtant; Poëta enim longius abit a vulgari conſuetudine loquendi, adeout nullus uſquam populus linguâ Poëtarum, nec ullus Poëta populari lingua uſus ſit; & hac de cauſsa, ne Horatius quidem, ſuarum Satyrarum, & Epiſtolarum gratiâ, ſe Poëtam dici ſubſtinuit, ſed hujus nominis honorem, ori magna ſonaturo deberi dixit; unde Cicero: *Poëtas*, ait, *quaſi alienâ linguâ loqui*; ut non temere ſcripſerit Quinctilianus (1): *Vitandum quoque, in quo magna pars erat, ne in oratione Poëtas nobis, & Hiſtoricos; in his operibus Oratores, aut Declamatores imitandos putemus: ſua cuique propria lex, ſuus decor eſt.*

Elocutio a Poëtis profecta ad Oratores, & Philoſophos, qui diu poſt ſapientiae ſtudium ſolutâ oratione acceperunt.

Tertia Latinae elegantiae pars erat pronunciatio pro Romano uſu; quae proprie *Urbanitas* appellatur; ſed

(1) Quinctil. *lib. X. cap. I.*

Digitized by Google

sed frustra tempus teret, qui putet se, eam nunc adsequi posse. Et quamquam fuerit, qui de *Orthoëpeja* Latina scripserit, tamen pronunciandum hodie est ex consuetudine praesenti Eruditurum.

Verum quoniam, ut ait Paterculus (1): *Sermo quidem tacitus scriptura est, & scripta vox imago muta vivae vocis*; ut loquimur, ita videtur scribendum; & ex pronunciationis consuetudine moderanda consuetudo scriptionis. Aliter enim scribere, & aliter pronunciare, vecordis esse admonuit Papirianus apud Cassiodorum de Orthographia. Adeat studiosa juventus Lipsium, de recta pronunciatione Latinae linguae; Scioppium in Orthoëpeja, Josephum Scaligerum, in Festum, Varronem, & Catullum.

Ut loquimur, ita scribendum.

Sed tandem coronidis loco; adnotare operae pretium non exiguum duximus, in nulla lingua isthaec reperiri, quae vulgus *synonyma* appellat, cum nullum sane verbum sit,

(1) Vellejus Paterculus lib. II.

Digitized by Google

sit; quod idem, ac aliud, aut saltem eodem modo significat, aut postremo ejusdem sit aetatis. Et ne haec obscura videantur sine exemplis; audite quaeso, nobis audientibus, differebat eruditissimus Vicus, haec quatuor: *Peccatum*, *Facinus*, *Scelus*, *Nefas*, incautis adolescentulis in hisce *Synonymorum* libris in unum aggesta locum proponuntur, quasi vero idem significent, cum reapse inter sese significatione plurimum differant; nam *Peccatum*, est ejus, verbi caussâ, qui herile imperium in re levi praevertit; *Facinus* abducere ab lenone invito, amicam; *Scelus* amicum prodere; *Nefas* filium necare. Item, quis non dicat haec alia duo, *Gratus*, & *Jucundus* esse synonyma?

Nullum est verbū, quod idē, ac aliud, aut eod. modo significat, aut ejusdem sit aetatis.

Sed toto tamen coelo aberrat; posterius enim significat, quod gaudium, & voluptatem creat; prius vero, quod juvat, & praestat habere, quam eo carere. Ita Cicero (1) dicit de tristi Nuncio, quod ab Attico ac-

(1) Cicero *lib. III. epist. XIV.*

Digitized by Google

acceperat: *Iſta veritas, etiamſi jucunda non eſt, mihi tamen grata eſt.*

Exilii, Relegationisve diſcrimen.

Denique, ut propemodum infinita alia omittam, ſunt plerique, qui ignari diſcriminis inter *Exilium*, & *Relegationem*, haec vel ſynonyma eſſe putârunt; cum tamen omnimodam diverſam ſignificationem habeant.; *Exules* enim Civitatem amittebant, & fiebant peregrini, retentis dumtaxat iis, quae ſunt ex jure gentium: ideoque vendebant, emebant, locabant, & ceteros contractus, qui ſunt juris gentium inibant, non ſecus ac Cives Romani: ſed teſtamenti factionem, jus connubii, jus patriae poteſtatis, &c. non habebant. *Relegati* vero remanebant Cives Romani, & omnibus Civitatis Romanae juribus fruebantur. Unde minus erat in *Relegatione*, quam in *Exilio*. Hinc Ovidius de ſententia Caeſaris, quâ relegatus fuerat, ſic ſcribit:

Adde quod edictum, quamvis immite, minaxque
Attamen in poenae nomine lene fuit.

Quip-

Digitized by Google

Quippe Relegatus *non* Exul *dicor in illo*:

Parcaque fortunae ſunt data verba meae.

Hinc jure conqueritur Lucretius, difficile ſibi eſſe Latinis verſibus Philoſophorum reperta illuſtrare propter egeſtatem linguae, & rerum novitatem; quae hodie nobis major eſt, qui haut paulo plura diſcimus, quam umquam cogitarunt hiſce de rebus veteres Romani; quod ſane falſum eſſet, ſi ad iſthaec ſynonyma potuiſſet confugere.

Cur ad voces tropicas confugiendū fuit?

Hinc cum Latinae linguae tot non ſuppetant voces, quot ſuppetere oporteret, ut omnia proprie exprimi poſſint; neceſſario confugiendum fuit ad voces tropicas. Digna ſunt, quae huc transferantur verba Ciceronis de Translationibus: *Modus transferendi*, inquit, *verba late patet, quem neceſſitas genuit inopiâ coacta, & anguſtiis, poſt autem delectatio, jucunditaſque celebravit. Nam ut veſtis frigoris depellendi cauſâ reperta primo, poſt*

adhiberi coepta est ad ornatam etiam corporis : sic verbi translatio instituta est inopiae caussâ, frequentata delectationis. Translationes, quasi mutationes sunt, cum quod non habeas, aliunde sumas. Tropi igitur, sive vocum translationes non modo ad mentem exprimendam, non occurrente aliâ voce, adhibentur, sed & ad ornatum orationis; ut notio vividior, aut elegantior, aut amplior in audientium mente excitetur. Ita Horatius (1) fulmen tropice descripsit hisce verbis:

. . . . . *tremendo*
Juppiter ipse ruens tumultu,

ut excitaret majorem fulminis notionem; nam aliquid amplius est intelligere, Jovem ipsum ruentem, quam telum ejus manu emissum.

Egestatis caussâ, Graecis verbis utimur pro Latinis.

Hinc ex ea, quam superius retulimus, caussâ egestatis, multis Graecis verbis ex instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa Philosophia, Grammatica, Geometria, Dialectica, Rhetorica, Musica;

(1) Horatius *lib. I. od. XVI.*

Digitized by Google

ca: *Quae quoniam uſu recepta ſunt*, ut Cicero (1) inquit, *noſtra ducamus*.

An Graeca Latinis liceat intermiſcere?

An vero liceat Graeca Latinis interſerere? Sane hoc, ut inquit Scaligerus, irridet Horatius, qui in Lucilio ipſo (quem Graeca Latinis miſcuiſſe, reliquiae oſtendunt) idipſum reprehenderit, cum ait:

At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miſcuit. O ſeri ſtudiorum, quine putatis
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pytholeonti
Contigit. An ſermo linguâ concinnus utrâque
Suavior, ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt?

Hujuſce rei adeo quidem ſtudioſus fuit Tiberius Caeſar, ut *Monopolium* nominaturus, prius veniam poſtularit: atque etiam, ut in ejus vita ait Tranquillus: *Cum ἐμβλημα recitaretur, commutandam cenſuit vocem, & pro peregrina noſtratem re-*

(1) Cic. *lib. III. de Fin. Bon. & Mal.*

Digitized by Google

requirendam: aut, si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum, rem enunciandam. Quod & Cicero obſervaſſe perhibetur in oratione pro Dejotaro, ubi ſententiam Latine exprimere, quam Graecum referre verbum maluit. Imo idem facit in iis, quae de philoſophia ſcripſit. Ut pene initio Tuſculanarum quaeſtionum; ubi itidem Epicharmi verſiculum iſtum convertere, quam Graece recitare, maluit, ut advertit Voſſius:

Α' πρεσβύν ἐγ', ἢ πάνυ μῶρος, ἢ μοι δοκῶ.

Ita enim apud eum Marcus, & alter, collocuntur: *M. dicam; ſi potero, Latine. Scis enim, me Graece loqui in Latino ſermone non plus ſolere, quam in Graeco Latine. A. & recte quidem. Sed quae tandem eſt Epicharmi iſta ſententia?*

Epicharmi ſententia.

M. Emori nolo, ſed me eſſe mortuum, nihil aeſtimo.

Atque haec ſatis oſtendunt, ut idem Voſſius ſubdit, *quantum recedant ab antiquis, qui, venti atque oſtentationis cauſſâ, paſſim inferciunt Grae-*

Digitized by Google

Graeca, atque ita, chimaerae instar, monstrosam reddunt orationem.

Verumenimvero non ita haec accipi debent, quasi in totum abstinendum sit Graecis, nam ea aliquando Latinis interserere licebit, ut advertit Simon Verrepaeus (1).

Primum, cum lingua Graeca sit omnium gratiarum, & venustatum foecundissima, Graecis licebit uti, seu verbis, seu sententiis, si insit in iis, aut grave quid, aut argutum, aut suave, aut jocosum, aut hujusmodi aliquid, quod Latine elatum festivitatem suam, & vim amitteret: aut certe brevius, & significatius dicitur, quam Latine. Hinc est, quod Aulus Gellius (2) licet Graecae linguae peritissimus, cum adferre debuisset Platonis locum, maluit Graece, quam Latine vertere: *Verba ipsa*, inquit, *super hac re Platonis, ex libro, qui appellatur* Gorgias, *scripsi, quoniam*

Graeca lingua gratiarum, & venustatis foecundissima.

(1) Simon Verrepaeus *lib. II. de conscrib. epist.*
(2) Aul. Gellius *lib. X. cap. XXII.*

Digitized by Google

vertere ea consilium non fuit: cum ad proprietates eorum nunquam possit Latina oratio adspirare. II. Graecis licet uti, ubi Latinis destituimur, cum videlicet aliquid fuerit, quod nisi barbare, aut voce Latinis inaudita, exprimi non possit, hîc tum nostram egestatem Graecorum copia sublevabit. III. Cum quid tectius, aut occultius scribendum sit Amico, quod non a quovis velimus intelligi; quemadmodum interdum fecit Cicero ad Atticum; ubi eâpse de caussâ multa dicit: *ἐν αἰνίγμασι, καὶ ἀπορρήτοις*. IV. Cum scribimus ad nobis familiares, & eruditos, quibus multa paucis per allusiones ad historias, fabulas, dicta Sapientum, versiculos Poëtarum, proverbia, & insinuationes significare volumus: ad quae omnia lingua Graeca mirum quantam det nobis facultatem.

Aenigmatice, & allegorice.

Sed haec in conscribendis epistolis, dummodo scribamus ad illum, qui Graece sciat. Nam si nesciat Graece, quid aliud, quam ignaviam ei exprobemus, atque insciti am?

Digitized by Google

ſcitiam ? in aliis vero, ut Cardanus (1) docet, non licet Graeca Latinis miſcere : niſi vel cum Latina non habentur ; vel ubi lis eſt in lectione, vel dictione, vel ſenſu : *Quomodo nos*, ut ipſe inquit, *in contradicentibus idem facere ſaepius coacti ſumus, quam voluimus*. Vel cum res adeo gravis eſt, ut vereamur, ne quis interpretatione majorem emphaſim addiderit, qua ratione in libello de Animi immortalitate etiam id facere neceſſarium fuit. Ceterum in aliis, ſi quis faciat, inepta, ac puerili ambitione id feciſſe dubium eſt. Quam regulam obſervari paſſim, & adamuſſim videmus ab optimis Oratoribus, tum in Foro, cum in Roſtris, in miſcendis linguae Latinae vocabulis Etruſcae orationi, quae eo venuſtior, & proprior videtur, quo minus ſcatet Latinis verbis. Si enim nuſquam licuit Latinae orationi inſerere aliûs linguae vocabula, non video cur id liceat in vernacula?

Oratio unius labii eſſe debet. Cui rei exemplo eſſe poteſt pervenuſta oratio noſtri Johannis Caſae ad Carolum V., & Plinii panegyricus ad Trajanum.

(1) Cardanus *Apolog. in Scaliger. num.CCLVI.*

Digitized by Google

Illud vero hîc admonere haut inutile fuerit, quod cum quaelibet lingua ſuam habeat venerem, nec eam exteri, quamquam diu inter Cives verſati, adſequi poſſunt. Non enim nos fugit ineſſe linguis colorem praecipuum, & nitorem, Scriptoribuſque ſingulis inſitam eſſe patriam urbanitatem, & nativum lepôrem, qui peregrino linguarum ingenio corrumpitur; itaut ingenuus ille flos eloquentiae convulſus e ſolo ſuo, ſtatim exareſcat, ac germana virtus orationis externis moribus obliniatur. Partium namque complexio, verborum compoſitio, ſonus, & numeri, quibus tota conſtat dicendi venuſtas, diſſolvuntur, & ipſae quoque ſententiae conciduntur, & enervantur; ac vigor, & adſpectus eloquentiae nativae, novis, & exteris coloribus inducitur, & aboletur; quemlibet oportere fatendum eſt, eâ linguâ uti, quam a natura eſt adſecutus: *Dulcius enim ab unoquoque ſuſcipitur; quod patrio ſermone narratur*, inquit Caſſio-

Cuique linguae ſua venus.

Digitized by Google

ſiodorus (1) idque mihi indicare voluiſſe videtur Hieronymus (2), cum ait: *Habet neſcio quid latentis energiae viva vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore tranſuſa fortius ſonat: unde, & Aeſchines cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio; quam adverſus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, ſuſpirans, ait, quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem?* Sermone Graeco, quamquam alias promtus, & facilis Tiberius Caeſar, ut inquit Svetonius (3), non tamen uſquequaque uſus eſt. Militem quoque Graece teſtimonium interrogatum, niſi Latine reſpondere vetuit. Neque illud praetereundum, ut advertit Alexander ab Alexandro (4), memoriae datum fuiſſe, legatis, exteriſque gentibus in Senatum admiſſis, Romanos Conſules, niſi Latine re-

Tiberii Caeſaris religio in Latine loquendo.

(1) Caſsiodorus *praefat. ad Sac. Script.*
(2) Hieronymus *epiſt. ad Paulinum.*
(3) Sveton. in *Tiberio cap. LXXII.*
(4) Alexander ab Alexandro *lib. IV. Gen. dier. cap. XI.*

Digitized by Google

Responsa Latine dabantur Legatis.

responsa dare consuêsse. Quibus admissis, more tradito a Patribus, potestatem, & quid vellent Senatus faciebat. Graeci vero concilio indicto per praecones, si quis quid peteret, enunciabant: sicut Atrebates, & Bellovaci, tubarum cantu concilium advocabant. Si quid proprio sermone loqui vellent, his in Senatum admissis, interpretes dabantur: per quos quae opus erant proponebant, & per eosdem consulta Senatus, & responsa accipiebant. Merito itaque Macrobius (1) naturâ Graecus, cum Latine scriberet, veniam petiit a lectoribus: *Sicut nos sub alio artium coelo*, ut ipse inquit, *Latinae linguae venus non adjuvet, etsi in nostro sermone nativa Romani oris elegantia desideretur*. Unde Lucretio (2) nedum linguae egestas, rerumque novitas, sed & id plurimi negocii facessisse videtur, quod nempe Latine vertenda essent Graeca; quorum blanditiis

Atrebates, & Bellovaci.

Aliquid negocii facessit Lucretio Latinae linguae egestas.

(1) Macrobius Saturnal. *lib. I. proœm.*
(2) Lucr. *lib. I.*

Digitized by Google

dities perdifficile alienâ linguâ eloqui poſſumus. Hinc eſt, quod Pindaro Doricâ linguâ ſcribenti, Corinnam Thebano idiomate canentem, Thebis praepoſuerint Cenſores. Ceterum Boccacius Florentinus Cicero eſt appellatus, quod aequa venere, ac felicitate, ut ille, linguâ patriâ ſcripſerit. Qualis eſt huic lepos, quae gratia? Nihil fieri poteſt omnium judicio candidius, ſuavius, elegantius. Quod minime eſſet conſecutus, ſi alienâ linguâ loqueretur. Hinc eſt, quod Boccatium maximis laudibus extollat, uti par erat, Johannes Matthaeus Toſcanus (1):

Boccacius Florentinus Cicero appellatus.

O Etruria ter beata: felix
Ter Florentia, Tuſce alme Ocelle:
Tibi haut Pallados Urbs, ferive Martis
Aequet ſe ingenii feracitate.
Teſtis Bocatius vel hic, qui amoenas
Fabellas, charitum lepôre tanto
Tin-

(1) Johannes Matthaeus Toſcanus *Pepl. Ital. lib. I. eclog. VI.*

Digitized by Google

Tinxit, judicio ut peritorum
Nihil sit mundius, elegantiusve.
Ast hic, cui facili levique opella
Crevit pagina per jocum, atque ludum,
Omne subripuit decus vetustis
Oratoribus, alta quotquot olim
Grandi pulpita voce personabant;
Scitus, perlepidus, nitens, venustus,
Comis, apposite loco intumescens.
Qui mores hominum, intimosque sensus
Expressit pergraphiceque, miniceque
Nunc quamtumlibet intumesce Roma,
Quantumvis quoque Graecia intumesce,
Dum rivus levis hic humique serpens
Vincat flumina vestra turbulenta.

Sed utinam sicut Etrusci sermonis, ita & modestiae, ac pietatis leges servasset! Jam nunc ipsum adolescentes, & eloquentiae compendio, & sine pudoris periculo lectitarent; quod contra evenit; plurimum

Digitized by Google

mum ſalacitatis, minimum eloquentiae inde hauriunt juvenes: vitio ſcilicet naturae in deteriora propenſae. Hinc eſt ut correctos, caſtigatoſque Decameronis codices legant exhortandi ſunt: & ad verborum nitorem, ſtructuramque, ac eloquentiae vim adtendant potius, quam ad fabellarum narrationem.

Expurgatos Boccacii codices adeant Adoleſcentes.

Ceterum Ammianus Marcellinus naturâ Graecus, cum Latine ſcribere tentaſſet; adeo duro, aſpero, inepto, & plane turbato ſermone ſcripſiſſe fertur ab Antonio Poſſevino (1): *Ut vix quod dicat conſequi alioqui poſſit.*

Ad extremum haut pigebit admonere quod linguam Latinam intermortuam, plurimi exuſcitare ſunt conati animadverſionibus ſuis, & praeceptis, atque obſervationibus. Inter praeſtantiores, praeter Laurentium Vallam, qui inter primos felicius expectatione omnium, cum operam eloquentiae navaverit, ip-

Laurentius Valla in Urbe poſt extinctam Latinam linguam, Latine locutus eſt.

(1) Antonius Poſſevinus *Apparat. Hiſt. ſect. III. cap. XV.*

Digitized by Google

ipſe princeps eſt poſt extinctam Latinitatem, in Latina Urbe Latine locutus, & Latine dicere alios docuit; plurimum ad ſermonis Romani emendationem contulit Adrianus Cardinalis opuſculis ſuis de ſermone Latino, & delectu Latinitatis, Bartholomaeus Riccius in ſuo Apparatu linguae Latinae; Andreas Schorus in obſervationibus ſuis; Henricus Stephanus de proprietate, & uſu Latini ſermonis, Voſſius libro de vitiis Latini ſermonis; Thomas Linacerius rationem emendatae ſtructurae tam diligenter tradidit, ut nihil optabilius. Particularum uſum egregie explicavit Turſellinus, ſive potius Scaurus vetus Grammaticus. Verborum differentias diligenter notarunt, uti & Auſonius Popma de differentiis verborum, Nizolius, & Carolus Stephanus, in quorum Theſauris dictiones Tullianae recenſentur, non ſecus ac apud Manutium Terentiana, & Tulliana dicendi genera, & apud Paraeum, Plautina ſunt aggeſta. Et hactenus de lingua Latina, ſatis, ſuperque.

Qui ad Romani ſermonis emendationem plurimum contulerunt?

Ve-

Digitized by Google

Verumenimvero, quia justi, aequi, veraceſque eſſe debemus, nedum in ſermonibus, ſed etiam in omni vitae officio, Dialectica nobis eſt opus, quae tota in ſermonis veritate verſatur; haec enim tradit methodum rationis rectę utendae, quae methodus in omni vitae negocio, incircumſcripto uſui eſt. Nec enim in ſcientiis ſolis errorem a veritate ſecernere difficile eſt, ſed in omnibus rebus, quas agunt homines, in omnibus, de quibus colloquuntur, idem plane arduum. Hinc malus rationis uſus, non tantum cauſa eſt errorum, quos ſcientiis immiſcemus, in quibus fruſtra vix, vel veritatis tantillum quis percipere conatur, ob tot luxuriantium ingeniorum garrulitatem; ſed ut plurimum ceterorum, qui in vita civili committuntur. Hinc proveniunt praecocia conſilia; hinc nihil familiarius, quam homines accuſare, vel excuſare, laudibus extollere, vel vituperare. Hinc temeraria judicia, quorum exempla non deſunt neque

Malus rationis uſus omnium errorū cauſa.

in

in ſacris, neque in profanis ſcripturis. Sic Chriſtus Dominus cum apud Simonem Phariſaeum aliquando veſceretur, ut legimus apud S. Lucam (1), mulier quaedam peccatrix ad eum acceſſiſſe dicitur, quae & lacrymis pedes illius coepit irrigare, & capillis ſuis eos abſtergere, & unguento ipſum ungere. Quod cum vidiſſet Phariſaeus, temerario apud ſe judicio pronunciaſſe fertur: *Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret utique quae, & qualis eſt mulier, quae tangit eum, quia peccatrix eſt.* Sed ſi Phariſaeus recto ratiocinio ad ſummam Chriſti Servatoris pietatem intendiſſet animum; eumque tamquam medicum reputaſſet, non ad ſanos, ſed ad aegrotos miſſum ſcilicet, *ad ſalvandas animas, quae perierant ex domo Iſraël*; numquam ſane tale de ipſo temere judicium fuiſſet habiturus.

Temerarium Phariſaei judicium.

Eadem & nos, noſcitabamus iniquitate quoſdam uſos Hypocritas,

Quorundam Hypocritarū iniquitas.

(1) Lucae cap. VII. verſ. XXXVI.

tas, qui ceteris ſanctiores, imo & doctiores haberi volunt, adverſus doctrinae, ac probatae famae viros, quos & verbis, & factis quaſi improbos, aut pravis opinionibus imbutos temere judicarunt. Sed fruſtra, nam dicta illa, aut facta tantum abeſt, ut in viros cordatos, ſceleriſque puros cadere poſſint, ut hi iſthaec conviciorum genera:

Tradant protervis in mare Creticum
Portare ventis . . . . . .

Ex malo, inquam, rationis uſu, vita, civilis quoque ſtatus, & opes, atque fortunae aliorum miſere evertuntur. Hinc temere ſuſcepta negocia, medicorum errata, & judicum lapſus, paſſim & vitam hominum, & patrimonia pauperum ſecum miſerrime trahunt in praeceps; raro itaque peccatur, niſi cum perperam, & inconſulte judicetur; hinc eſt, quod more Academicorum, ſapientiſſimi Romani, cum Judices, tum Senatores, quorum conſilio, atque judicio aliorum fortunae, ac totius Reipublicae ſalus regebantur,

Temere ſuſcepta negocia, medicorum errata, ac judicũ lapſus ex malo rationis uſu.

Digitized by Google

Sapientissimi Romani per verbū *videri* suam exprimebāt sententiam.

in prudentiae rebus, per verbum *videri* suas sententias exprimebant, & sane, nam ut Accursius ait:

Sub dubio saepe respondent forte Periti.

Judex enim ex ignorantia, vel imprudentia male judicando tenetur ex quasi delicto, & *litem suam facit*, ideſt, cum ejus quem male absolvit, caussam in se susscipere, & contra ipsius adversarium defendere cogitur. Sed si Judicis officium hîc altius repetere liceret, oculos in Exodum (1), & Deuteronomium (2) conjicere deberemus, e quibus sane discerenus eos dumtaxat constituendos esse Judices, qui Deum timent, in quibus sit veritas, & scientia, & qui odio habeant avaritiam. Ut autem ignorantia in Judice vituperabilis est secularí, ita & quammaxime in Ecclesiae Praefectis; ipsi enim Deo rationem pro animabus sunt reddituri.

Qui in Judicis officium eligendi?

Plurimi igitur nostrâ refert nos in-

(1) Exod. *cap.* LXVIII. *v.* XXI.
(2) Deut. *cap.* I. *v.* XIII. *ac seqq.*

Digitized by Google

ipsos huic rationis regendae, atque emendandae mentis facultati, quam *logicen* appellant, rite instituere, & conformare, nam ut Lucretius (1) ait:

. . . . Si falsa est regula prima,
Normaque si fallax, rectis regionibus exit:
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum;
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est
Prava, cubantia, prona supina, atque absona dicta;
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque
Prodita Judicibus fallacibus omnia primis.

Logicam itaque merito laudavit Cicero in Bruto; sola hac ejus descriptione, ubi dixit Juris civilis magnum usum apud multos fuisse, artem in uno Servio Sulpicio: *Quod numquam*, inquit, *effecisset solius juris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam distribuere in partes; latentem* Dialecticae laus.

(N) 2

(1) Lucret. *libi.*

tentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere; poſtremo habere regulam, quâ vera, & falſa judicarentur; & quae quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent conſequentia. Unde nihil magis Jureconſulto videtur neceſſarium, quam recta haec, minimeque fallax differendi regula; perverſa enim diſceptandi ratio, cum ubique ſit noxia, nuſquam tamen exitioſior eſt, quam in divino, humanoque Jure, ubi vel animos, vel vitam, vel patrimonia peſſundat.

Unde emanat Juriſprudentia?

Quare a philoſophia, recteque ratiocinandi norma, quae abſtractas a rebus ſingulis leges aptat, adglutinatque negociis: & ex antiquitate, atque perſpecta vocabulorum proprietate, tanquam e germanis fontibus, Juriſprudentia emanat: quae cum legum moderatrix, ſit & interpres, boni & aequi ars, a ſuis cultoribus appellatur.

Certiſſimum in omni vita paratum bivium.

Verum nuſquam, cum non occurat in omni vita certiſſimum paratum bivium, ad veritatem una via

Digitized by Google

via, ad falſitatem altera ducens; cumque nec deſint ingenia erroribus obnoxia, quae in vero dignoſcendo prorſus caecutiunt; rationis eſt eligere, cui erit inſiſtendum; nam ut Perſius (1) ait:

Cumque iter ambiguum eſt, & vitae neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes.

qui bene eligunt, rationem bene inſtitutam habent; ſecus qui male. Hinc a Dialectica, quae ars eſt bene differendi, ſeu rationis rectrix, ut veritatem in propoſita quavis materia facilius adſequi valeamus, procul eliminanda eſſe jure duximus inania quaedam vocabula, de quibus veteres Dialectici id norant, quâ occaſione eſſent adhibenda; necnon inſipidae quaeſtiunculae, quibus obruitur potius mens, quam excolitur; id genus ſunt, quae tanto apparatu, verborum nedum intra, ſed etiam extra ſcholarum parietes exagitantur de *univerſali a*

Quaedam vocabula inania a Dialectica eliminanda.

Quoque inſipidae quaeſtiunculae, quibus mens obruitur.

(1) Perſius *ſatyra V.*

Digitized by Google

parte rei, entibus rationis, secundisque intentionibus. Idemque dicendum liquido constare debet de tetricis illis figuris, & figurarum modis pro essingendis syllogismis in *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, &c. quorum usum maxime commendant Scholae, quippe quae homini rerum ignaro saepe ad solvenda argumenta sufficere, ut illae putant; possint ipsae veritatis trutinae; cum ejusmodi regularum nimis operosarum abusum notarit inquiens Augustinus (1): *Cum plerumque accidat, ut facilius homines eas res adsequantur, propter quas discendas ista discuntur, quam talium praeceptorum nodosissimas, & spinosissimas disciplinas. Tanquam si quispiam dare volens praecepta ambulandi, moneat, non esse levandum pedem posteriorem, nisi cum posuerit priorem; deinde minutatim quemadmodum articulorum, & poplitum cardines oporteat movere, describat. Vera enim dicit, nec*

Regularum abusus notatus.

(1) S. Augustinus *de doctrina Christiana lib. II. cap. XXXVII.*

Digitized by Google

nec aliter ambulari poteſt: ſed facilius homines haec faciendo ambulant, quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt.

Sed cum nihil abſurdius, quam petere lucem a tenebris, cumque naturalis rerum ordo poſtulet, ut ad obſcura per aperta pergamus, utiliores putaverim haſce regulas, ſi minores numero quidem eſſent, complexu vero latiores, e quibus quamminimum carpat exceptio; quippe praeter obſcuritatem, haut leve incommodum tenellae Adoleſcentium memoriae parit multitudo praeceptorum, quorum copia regulam aliquando adeo extenuat, ut inutile ſane fuerit redegiſſe in regulam, quod tot exceptionibus erat exauriendum.

Duplex incommodū ex multitudine praeceptorū.

Ceterum, ſi in illis tricis conſeneſcere liceret novendecim illi figurarum modi pro ſyllogiſmis efformandis a ſophiſtis excogitati, juxta harumce vocalium conbinationem A, E, I, O, excreſcere deberent uſque ad ſexaginta quatuor, ut ex hacce, quae ſequitur tabula, conſtat.

Digitized by Google

TABULA

LXIV. Modorum.

1. Aaa. *	17. Eee. *	33. Iii. *	49. Ooo. *
2. Aea. *	18. Eae. *	34. Iai. *	50. Oao. *
3. Aia. *	19. Eie. *	35. Iei. *	51. Oeo. *
4. Aoa. *	20. Eoe. *	36. Ioi. *	52. Oio. *
5. Aee. *	21. Eaa. *	37. Iaa. *	53. Oaa. *
6. Aii. *	22. Eii. *	38. Iee. *	54. Oee. *
7. Aoo. *	23. Eoo. *	39. Ioo. *	55. Oii. *
8. Aae. *	24. Eea. *	40. Iia. *	56. Ooa. *
9. Aai. *	25. Eei. *	41. Iie. *	57. Ooe. *
10. Aao. *	26. Eeo. *	42. Iio. *	58. Ooi. *
11. Aei. *	27. Eai. *	43. Iae. *	59. Oae. *
12. Aeo. *	28. Eao. *	44. Iao. *	60. Oai. *
13. Aie. *	29. Eia. *	45. Iea. *	61. Oea. *
14. Aio. *	30. Eio. *	46. Ieo. *	62. Oei. *
15. Aoe. *	31. Eoa. *	47. Ioa. *	63. Oia. *
16. Aoi. *	32. Eoi. *	48. Ioe. *	64. Oie. *

Ex-

Digitized by Google

Ex quibus ſane modis, nonniſi novem concludere recenſentur, ii nempe qui crucis ſigno ſunt adnotati. Regulas autem eorundem, ſicuti & in quam figurarum ſinguli reducantur, ſive concludant, tradit Arnaldus in ſua cogitandi Arte, quam, ſi haec & alia ſatis profigua, eſt tibi addiſcendi cupido, adeas oportet.

Exploratum itaque ſit, minutas illas tricas, Dialecticam in contemtum potius adducturas, quam ullo operae pretio dignas ab aequis rerum aeſtimatoribus judicari; tantum enim abeſt, ut illarum uſus Logiculis proſit, ut ſaepe nihil eis rationis utendae methodum corrumpat magis: *Herbas bonas*, ut idem inquit Arnaldus (1), *malarum copia ſuffocat, nec quicquam mentem reddit ſolidarum rerum infoecundiorem, quam mala cogitationum vulgarium luxuries, & iſthaec diſſerendi libido*. Mens quippe in illis tricis innutrita, ad res ſolidiores inve-

Dialecticarum tricae, nullo operae pretio dignae.

(1) Arnaldus in *arte cogitandi*.

Digitized by Google

veſtigandas, tenebricoſis difficultatibus obſepitur. Hinc ſatius eſſet ſi ea potius dediſcerent, quam addiſcerent; certum eſt enim naturâ nos tenaciſſimos eſſe eorum, quae a teneris annis percepimus, ut ſapor, quo nova imbuas durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt. Digna ſunt, ut huc exſcribantur aurea Quinctiliani (1) verba cum ait: *Qua in re non arbitror diu mihi laborandum, ut oſtendam, quanto ſit melius optimis imbui, quanta in eluendis, quae ſemel inſederint vitiis, difficultas conſequatur, cum geminatum onus ſuccedentes premat. Et quidem dedocendi gravius, ac prius, quam docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum ferunt duplices ab his, quos alius inſtituiſſet ſolitum exigere mercedes, quam ſi rudes traderentur.* Hinc Adoleſcentes exorandos duximus non e ſenticeto, labyrinthoque quarundam ſcholarum Dialecticam fa-

Inutilia, utilius eſt dediciſſe.

Quae a teneris menti noſtrae ſemel inſederint, perdifficile elui poſſunt.

(1) Quinctil. *lib. II. cap. III.*

Digitized by Google

facultatem expetendam esse, sed a candidiore, cultoque Gymnasio eorum, qui comtioribus regulis, ac Latinis potius quam Arabicis verbis eam tradiderit; alias ubi quis, operâ illis Dialecticis studiis aliquandiu datâ, ad aliud vitae genus se confert, statim, & vocabulorum, & artis oblitus, quam frustra tempus trivisset, experitur; enimvero vanarum est, atque fictarum opinionum conditio, ut diuturnitate extabescant: *Opinionum commenta*, inquit Tullius (1), *delet dies: naturae judicia confirmat*. Hinc est, quod illa cum multorum spacio saeculorum viguisset methodus, exorti sunt tandem viri ingenio praestantes, qui aptiorem Dialecticam methodum excogitarunt, ostenderuntque Logicam non ut artem loquendi, aut rixandi technicis illis vocabulis, quae adhiberi de industria videntur, ut eos quibuscum locuntur decipiant, aut fallant; atque ridiculis quaestiunculis viro sapiente indignis, utpote quae

Vanarum, atque fictarum opinionū cōditio.

Nova differendi methodus a viris doctis excogitata.

(1) Tullius *lib. II. de natura Deorum*.

Digitized by Google

quae nihil habent, praeter inanem acuminis oſtentationem, tradi oportere; ſed ut artem inveniendi veri, & ſimul cavendi ab erroribus, in quos ipſi incauti incideremus, aut ab aliis conjiceremur. Sine arte enim veritas dilucide cognoſci, aut probari nequit; & ut hoc recte fieri poſſit, ei arti operam aliquam navaſſe neceſſe eſt. Saepe etiam ad retundendos Sophiſtas, qui ſe ſcire jactant, quod reverâ neſciunt, magnâ opus eſt ſolertiâ, quo ignorantiâ ſuâ intellectâ, melius edoceantur. Non negarim ergo aliquem ſcholarum modorum ut ajunt, ac vocabulorum uſum ſaltem pro primis addiſcendae artis initiis utilem fore: dummodo hujuſmodi praecepta ſobrie, ut ita dicam, tradantur; ſuperfluis ſcilicet reſectis: iis enim modis argumentandi rationem facile percipiunt Tirones: eorumque uſu ad graviora, & ſcitu difficiliora gradum facere poſſunt: ſi tamen ut ajebam, ſobrietas, & quaedam veluti modeſtia in iis tradendis, addiſcendiſque adhibeatur. Ad

Ad retundendos Sophiſtas magna opus eſt ſolertia.

hanc

Digitized by Google

hanc etiam neceſſitatem nos redigit docta veterum Theologorum ſchola; quippe qui, & ut ſuorum temporum conditioni ſe adcommodarent, & ut haereticos profligarent; iiſdem vocabulis, aut argumentorum modis, ac terminis uſi ſunt, quam illi.

Sed enimvero ad retundendos Sophiſtas, eorumque argutationes evertendas nonnullis optimus, ac expeditus ea in re viſus eſt ejus methodi uſus, & argumentationis telum, quo plurimum Socrates potiſſimum utebatur; propterea quod nihil ipſe ad probandum adferre volebat, quia ſe nihil ſcire profitebatur, & ab Adverſariis velle ſcire admirabili illâ ſuâ ironiâ ſimulabat. Itaque ex eo quod ſibi dederat, quîcum diſputabat, conficiebat aliquid, quod ille ex eo, quod jam conceſſiſſet, approbare deberet; & hoc miro artificio inductionis, tantâ dexteritate Socrates ferebatur in Sophiſtas, ut nihil contradictorium, nihil abſurdum, in quod eos non daret praecipites.

Optimum recenſetur argumentationis telum, quo Socrates utebatur.

Cum itaque tum propter allatam

Socratica inductio candori, quem quisque praeseferre debet conveniētissima.

tam rationem, tum quod candori, quem probus quisque praeseferre debet, Socratica inductio convenientissima sit, praestat praecipuas ejusdem regulas, paucis aperire.

Ejus inductionis regulae.

Prima, *jubet eum, qui eâ usurus est, ita se gerere quasi ab eo, quîcum res ipsi est, vellet id, de quo certatur, discere.*

Secunda regula est, *prius quam quidquam objicere adgrediamur, oportet nos eum, quîcum loquimur, si utatur rebus obscuris, interpretationem rogare.*

Tertia, *si tandem eo devenit, ut clare quod vult adferat, oportet eum rogare de doctrinae omnibus partibus, ejusque consectariis, non quasi quidquam in iis reprehendamus, sed ut plenius doctrinam percipiamus, itaut is Magister, nos Discipuli videamur.*

Ceterum, *opus quidem est, ut eâ feliciter utamur, acumine, & celeritate ingenii, sicque interrogationibus rite peractis, liquido patebit doctrinae absurditas, siqua sit, melius quam si aperte oppugnetur;*

hinc

Digitized by Google

hinc hiſce interrogationibus, ut ex Cicerone (1) diſcimus: *Interdum utile eſt ab eo, quem interrogamus, non intelligi, quo ſpectent illae primae inductiones, & ad quem ſint exitum perventurae.* Nam qui videt, ſi ei rei, quae primo rogetur, recte adſenſerit; illam quoque rem, quae ſibi diſpliceat, eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut male reſpondendo, longius procedere interrogationem, non ſinit. Quare ratione interrogationis imprudens ab eo, quod conceſſit, ad id, quod non vult concedere, deducendus eſt.

Sophiſta variis modis premi oportet.

Sin vero pertinaciâ quis laborat, & vult ſuas voces ſine definitione admitti, dignus eſt, ut ei non praebeantur aures, donec quid ſibi velit perſpicue dixerit. Variis quaeſtiunculis premi eum oportet, quam molliſſimis fieri poterit verbis; non ejus umquam incuſanda ignorantia; aut loquendi imperitia, ſed noſtrae ſemper tribuendum tarditati,

(1) Cicero *de invent. lib. I. n. LII.*

Digitized by Google

ditati, & inſcitiae, quod non adſequamur, quae ille ſenſiat. Maxime enim: *Proprium fuiſſe Socrati*, ut inquit Epictetus (1), *numquam irritari in colloquio, neque quicquam convicii proferre, aut contumelioſi: ſed conviciantes ferre, & componere litem*. Et ſane nam, ut Cicero (2) inquit: *Maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces, indignae mihi Philoſophiâ videri debent*.

Socrati mos in colloquendo.

Haec, & alia obſervanda ſunt monita ei, qui alium ab errore revocare nititur. Sed quoniam hujus pulcherrimae methodi nonnulla ſunt exempla in Platonis Dialogis; & in Xenophonte, qui plurima adfert Socratis colloquia; eos adeat, ſi cui eſt addiſcendi voluptas.

Haec, & alia cum nos noſcitaremus, haud temere duximus juventutem admonere, in ſterilibus quaeſtiunculis, ac ſcholarum ſpecula-

In ſterilibus ſpeculationibus ſine piaculo tempus conſumi non poteſt.

(1) Epictetus apud Arrianum *lib. II. cap. XII. de Socrate*.

(2) Cicero *lib. I. de fin.*

Digitized by Google

lationibus, tempus ſine piaculo conſumi, non poſſe. Quid enim prodeſt figuras torno facili tam exiles effingere, ut eas pyxidibus includi neceſſe ſit, ne levi ventorum vi diſflarentur; vel catenulas conſtringendis pulicibus idoneas fabricare, ſimilibuſque opuſculis vacare, quales erant Myrmecidae Mileſii, & Callicratis Lacedaemonii quadrigae, quae ſub alâ muſcae poterant abſcondi, ut refert Aelianus: *Vana eſt*, inquit, *temporis jactura*? Hinc eſt, quod Plato, ut narrat idem Aelianus, Anniceridis Cyrenenſis, qui ſingulare, & inſolitum, ſed inutile opus ediderat, nimiam induſtriam reprehendit, inquiens: *Fieri non poſſe, ut qui rebus tam nullius pretii operam navaret adeo diligentem, poſſet magnis, & praeclaris vacare*. Qua de re haec ſunt ab Auguſtino adeo tradita divinitus, vel ut hîc adferre haut nos pigeat: *Intelligere*, inquit, *ſemper ſine vitio eſt. Intelligere magna, & honeſta, vel etiam divina, beatiſſimum eſt. Intelligere autem ſuper-*

Plato nimiam induſtriã Anniceridis Cyrenẽſis reprehendit.

Digitized by Google

flua nihil nocet, ſed fortaſſe diſcere nocuit, cum tempus neceſſarium occuparent. Sed o ſtupenda prorſus humani caecitas animi, qui cum totus verſetur in hiſce quiſquiliis, quae apprime cuique ſcitu neceſſaria ſunt, non tanti facimus!

Hinc, ne ſpes fruſtetur noſtra in hujuſce facultatis ſtudio, quod ſane non ſui, ſed emendandae mentis potiſſimum, & aliarum doctrinarum cauſsâ ſuſcipiendum eſt, non eſt ut Geometriae partem aliquam ocii noſtri detrahamus, utpote quae longe omnium emendandae menti, ac praecavendis veteribus, noviſque erroribus praeſtet; enimvero, haec, ordine certo, a certis quoque ducit ſimpliciſque principiis, unde obſcura diluuntur, diſſolutaque componuntur, & compoſita in ſuas dirimuntur partes; atque mens hacce recta diſſerendi facultate inſiſtere rebus ipſis adſueſcit, & cogitatio omnis ſerieſque argumentorum ita progreditur a veris, ut mens exuat ſibi ſenſim id omne, quod e vulgari judicio temere, ac ſtulte con-

Geometriae ſtudium emendandae menti, ſatis congruit.

Digitized by Google

conceperat. Quidquid autem Geometriae satis esse poterit studiosae juventuti, praebet Euclides a Mercatore digestus.

Ceterum quam illis Logicae quisquiliis improbam perdimus operam, impendamus satius est Morali Philosophiae, cujus gratiâ studium omne suscipi debet, ac in eandem desinere oportet, cum aliter non tantum non profuturum, sed saepissime nocituram esse videatur; quid enim juvat rerum extra nos positarum scientiam adipisci, aut quid ex ea percipimus emolumenti, si quae proprius nos contingunt, quae officii nostri sunt propria, & sine quibus probos esse nobis non licet, aut negligamus, aut penitus ignoremus? *Quid est autem*, sapientissime inquit Bernardus (1), *sapere ad sobrietatem? Vigilantissime*, subdit, *observare, quid scire magis, priusquam oporteat. Tempus enim breve est. Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quae tamen veritate subnixa* IV. DE MORUM DISCIPLINA.

(1) Bernardus *serm. XXXVI. in Cantica.*

est; sed tu, qui cum timore, & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius, ampliusque curato, quae senseris viciniora saluti. Hic enim humanae sapientiae scopus nobis propositus est, non ut in sterili, nudaque rerum contemplatione conquiescamus; sed ut ad proprias aegritudines, quae multae sunt, curandas, vitamque honeste transigendam, animum appellamus. Eo quippe solo melior, praestabiliorque Philosophorum, quam ceterorum hominum futura est conditio; si animi perturbationibus mederi, mores componere, beatam denique, hoc est honestam, & Deo Optimo Maximo, acceptam vitam ducere, longo studio, & meditatione addiscant. Bene autem, beateque vivendi praecepta, unde haurire possumus, nisi ex ea disciplina, quae circa mores ad honestatis regulas conformandos, praecepta consignat? Hinc est, quod non immerito apud Graecos, sapientum nomine censebantur, non qui mechanicam naturae rerum dispo-

Quisnam humanae sapientiae scopus?

Unde bene, beateque vivendi praecepta haurienda?

Qui apud Graecos sapientes censerentur?

Digitized by Google

ſpoſitionem inveſtigabant ; ſed qui vitae recte inſtituendae, totiuſque artis politicae ; quâ recte poſſent, jura populis dari, Civitateſque regi, praecepta tradebant.

Haec morum diſciplina, quam Graeci Ethicen, Latini, auctore Tullio(1), Moralem appellant, quamvis apud antiquiſſimos Ethnicos Philoſophantes, a temporibus Thaletis, qui ſexcentis annis, & amplius ante Chriſtum florebat, uſque ad ipſius Chriſti ortum, inculta prorſus minime jacuerit, ut liquido conſtat ex iis, quae tum a Socrate, tum a divino Platone, Ariſtotele, Cicerone, Plutarcho, Seneca, aliisque ſive Graecis, ſive Latinis; imo & a Confucio Sinarum Philoſopho celeberrimo Latinis literis verſa, & ad nos tranſmiſſa uſque ab anno MDCLXXXVI. ab Interpretibus quatuor Miſſionariis Jeſuitis e manuſcripto Bibliothecae Regis Francorum, dicta ſunt: tot vero, tantisque vepribus, ac dumetis obſita fuit,

Apud antiquiſſimorū Ethnic. Philoſophos diſciplina morum exculta.

Confucii Philoſophia ad nos tranſmiſſa.

(1) Tullius *init. fragm. de Fato.*

fuit, ut ex eorum Hortis vix, vel exilem floſculum excerpere poſſis. Quid ni? cum vera & aeternae legi conſona Ethica, nonniſi Sacris in Bibliis comprehendatur. Quae tamen Hebraei populi vitio in veteri Teſtamento veluti deliteſcens, ſuum tandem nitorem, ac claritatem a Jeſu Chriſti Servatoris noſtri praedicatione, ac Evangelio accepit: quippe qui primus aperte docuit (1): *Diligere inimicos ſuos, nulli malum pro malo reddere; orare pro perſequentibus ſuis; percutienti alteram maxillam praebere, libere mutuum dare; omni petenti tribuere, &c.* quae a primis Chriſti ſectatoribus, ſummo rei Chriſtianae bono, mirum quam perſeveranter, & conſtanter praeſtita, ſacra, & profana hiſtoria teſtatur. Hinc liquido conſtat felicitatem, beatitudinemque nobis non adquiri per virtutem Stoïcam, nec per purgationem Academicam, nec per ſpeculationem Peripateticam, ſed

Moralis diſciplina ſuum complementū accepit, & nitorem a Jeſu Chriſto.

Per quam virtutem felicitas adquiritur.

(1) Matthaei V., I. Petri IV., & alibi.

Digitized by Google

ſed per Fidem in verbo Dei: & ſane, nam ſi Philoſophorum alii felicitatem ponunt in voluptate, Chriſtus in fame, & ſiti: ſi alii in honeſtate, & fama, & amplitudine nominis, Chriſtus in contemtu ſui ipſius, rerumque omnium; ſi alii in gaudio & indolentia, Chriſtus in fletu, & luctu; ſi alii in ſcientia, & prudentia, ac virtutibus moralibus, Chriſtus in ſimplicitate, & innocentia, & munditia cordis; ſi alii in fortuna, Chriſtus in miſericordia; ſi alii in gloria belli, & ſubactione terrarum, Chriſtus in pace; ſi alii in honore, & pompa, Chriſtus in humilitate; ſi alii in divitiis, Chriſtus in paupertate; ſi alii demum in potentia & victoria, Chriſtus in perſecutione, eâ nempe de qua ipſe loquitur (1): *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.*

V. DE JURISPRUDENTIA ROMANA.

Sed inter diſciplinarum humanarum, liberaliumque artium Cultores, non ſine operae pretio memi-

(1) Chriſtus *Matth. V.*

Digitized by Google

Jurisconsulti toti ad humanae vitae regulam rectè transigendae.

nisse exoptamus, quod uni Jurisconsulti maximâ semper admiratione sunt habiti, cum non fabulas, aut commentitias narrationes sint prosecuti, verum in leges, & praecepta, quae ad humanae vitae regulam, & beatitudinem spectant, mentis aciem intenderunt; omnes enim ita convenisse inveniuntur, ut non plane a diversis, sed ab eodem prorsus defluxisse omnia videantur. Protulêre quidem & suas antiqui illi Philosophi sententias, quas tamen si diligentius excusseris, nec omnino perfectas, nec semper respondentes invenias. Unde, teste Augustino (1), inter ducentas octoginta, & octo Ethnicorum Philosophorum de fine, summoque hominis bono, quas collegit vir Romanorum eruditissimus Terentius Varro, nonnisi unica potest esse vera, quam singulari felicitate ingenii Plato, quem divinum cognominavit Antiquitas, adsecutus videtur, de quo idem sic te-

Ducentae octoginta & octo Philosophorum sententiae de summo hominis bono!

Solus Plato ex tot Philosophantibus, rectè Philosophatus est de fine, summoque hominis bono.

(1) Sanctus Augustinus *lib. XIX. de Civitate Dei cap. I.*

Digitized by Google

testatur Augustinus (1) : *Plato Dei imitatorem, & cognitorem, & amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus.*

Hinc institutionem sapientis vitae suscipiendam censuerunt quamplurimi Platonicis e libris, utpote à quo superiorum omnium aetatum, atque gentium universarum, ac veterum Poëtarum sapientia effluxit: & praesertim ex libris de Republica, & de legibus, ubi uberiores affectionum, & rerum humanarum causae panduntur, & cum privatae, tum publicae felicitatis rationes ad solam honestatis normam deducuntur. Hinc Horatius humanae sapientiae latices a Platonis Dialogis hauriendos indicasse videtur, cum ait:

Scribendi recte, sapere est & principium & fons,
Rem tibi Socraticae *poterunt ostendere chartae.*

Verumenimvero Jurisconsultorum placita magna ex parte conveniunt cum

Jurisconsultorum placita cum Dei legibus affinia.

(1) Augustinus *lib. VIII. cap. V.*

cum iis, quae per *verbum Dei* nobis tradita, & demandata sunt; & sane, cum earum legum; quas tulerunt Decemviri, reliquias colligerint horum temporum eruditissimi viri, si quis eas evoluerit, Moysen in plerisque capitibus agnoscet. Quippe si originem Juris Romani ab remotiori memoria repetamus, Moysen ipsum haut levi ex parte illius auctorem reperiemus. Multa enim Aegyptii ab Hebraeis, quibuscum victitabant, in suos vertêre mores. Graecos autem, e quibus Romani primaeva jura acceperunt, vel a Phoenicibus Hebraeis affinibus, vel ab Aegyptiis accepisse creditur; Erichtheus enim, ac Cecrops, qui Athenarum Urbem primi legibus composuerunt, primique imperarûnt, ex Aegypto advenerant, indeque in Graeciam adtulêre mores patrios, quibus multa haeserant ex Hebraicis institutis, ut ipse Cecrops, propter Graecos mores Aegyptiis insitos, διφυὴς recte fuerit appellatus. Major est etiam Imperatoriarum sanctionum, quae his

Erichtheus, ac Cecrops ex Aegypto in Graeciam adtulerunt mores patrios.

suc-

ſucceſſerunt, cum Moſaicis affinitas; unde, teſte Huetio (1), libellum ſcripſit olim Licinius Rufinus hoc titulo: *Collatio legum Judaicarum, & Romanarum*. Lubet pauculas adferre judiciales leges, quas a Deo cum didiciſſet Moyſes, ad ſuos retulit, ut videre eſt *Exod. XXI. XXII. XXIII.* cum quibus ſi collatio fiat earum, quae in Codicibus a Jurisprudentibus Romanis ſunt exaratae, certe haut inficias quis iverit, quin ipſiſſimae videantur. Prima ſic ſe habet: *Qui hominem prudens occiderit, capite poenas luet; qui imprudens exilio multabitur*. Secunda: *Qui patrem, matremve pulſaverit, conviciumque eis dixerit, capitali ſupplicio afficitur*. Tertia: *Si quis praegnantem feriens, foetum ipſi excuſſerit, tum vel ipſa vivet, & hic damno erit obnoxius, quantum mariti intererit: vel eadem morietur, & reddat animam pro anima. Si oculo, vel dente, vel manu eam mu-*

Collatio legum Judaicarum, & Romanarum.

(1) Huetius *praepoſit. IV. cap. II. §. IV. demonſtr. Evangel.*

Digitized by Google

mutilaverit, reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. Quo quidem loco generalis ſancitur lex talionis, ut qualem quiſque tulit injuriam, tale pendat ſupplicium. Idque jus, quod a Codice Theodoſiano appellatur *poena reciproci*, in legem XII. Tabb. tranſiit. Quarta: *Si fur noctu domum effringens vulneratus fuerit, & ex vulnere moriatur, percuſſor non erit reus ſanguinis.* Quo in loco lex divina quemlibet hominem ſtatuebat juſtitiae vindicem contra furem nocturnum, quomodocumque vim inferentem. Quod etiam tranſmiſſum eſt in Legem XII. Tabb. Nam ea lege vim vi repellere licebat, ut refert Cicero in oratione pro Milone. Ceterum ne longius abeam, Divortii jus, quod Sp. Carvilio auctore, apud Romanos introductum eſt, manavit a jure Moſaico; ſicuti & lex illa Romanorum, qua cautum erat, ut ſiqui excavaret foveam, quam praetereuntes praevidere non poſſent, in eamque prolapſum aliquid factum eſſet deterius, auctor foveae dam-

Lex Talionis, ſeu poena reciproci.

Vim vi repellere omnia jura clamant, praemiſſo moderamine inculpatae tutelae.

damnum ſarcire cogeretur (1).

De cetero quicquid a Platone, aliiſque Graecis philoſophis (qui a Moyſis columnis, ut alibi diximus, doctrinam adripuiſſe creduntur) de honeſto, & juſto, de finibus bonorum & malorum; de regendis populorum moribus; de legibus, & Republica quaeſtionibus adfluebat; totum id omne collectum a Romanis Juriſconſultis, atque in Urbem traductum, inque Jus redactum eſt, ut publicae ac privatae cederet utilitati. Unde Jus Romanorum Graecorum philoſophorum, Stoicorum, praecipue brevibus, atque conciſis numeris concluſas ſententias, ſaepe redolet. Jure igitur gloriari ſe poſſunt Juriſconſulti cum Ulpiano (2): *Veram non ſimulatam Philoſophiam ſectari*; enimvero, ut arbitror, nemo inficias iverit, quin Philoſophi Romanorum ipſi fuerint Juriſconſulti, legum cuſtodes, & juſtitiae ſacerdotes appellati; ut qui in una le-

Juriſconſulti non fucatam ſectantur Philoſophiam.

(1) *L. qui foveam ff. ad legem Aquiliam.*
(2) Ulpianus *l. 1. ff. de Juſt. & Jur.*

Digitized by Google

legum peritia omnem ſapientiam poſuerunt, ut Reſpublicas fundarent, fundatas regerent; unde Horatius (1):

.... fuit haec ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Quare, ut ſcite admodum ex Seneca (2) advertit Vicus, eadem definitione Romani Juriſconſulti, Juriſprudentiam, quâ Graeci ſapientiam, *Divinarum, humanarumque rerum notitiam*, definiebant.

Ad Romanorum prudentiam adtributa fuit Graecorum philoſophia.

Porro ad prudentiam Romanorum fuiſſe adtributam philoſophiam Graecorum; plura dogmata, quae in jure civili verſantur, quaeque eorum philoſophorum ſcholam, ac Stoicam praecipue redolent, oſtendunt. Ex Graeciae enim Civitatibus, atque Athenis potiſſimum, ubi So-

(1) Horatius in *arte poëtica*.
(2) Seneca *epiſt. LXXXIX.*

Digitized by Google

Solonis inſtituta vigebant, Romam leges reportarunt Legati tres; in Graeciam hac una de cauſa miſſi; quas deinde, adjectis duabus aliis, a Decemviris ad populum latas, factoque Senatuſconſulto, captis auſpiciis, acciţis Pontificibus, & auguribus, centuriatisve Comitiis, populus univerſus ratas eſſe juſſit. Quae leges ad omnium notitiam, & utilitatem aeneis inciſae tabulis fuêre, & in foro juſſu populi collocatae. Ex quo non obſcure colligitur legem non obligare, niſi promulgetur (1). Sed & Romanos Valerii Publiolae operâ, & auctoritate adductos, jam antea plurima Solonis inſtituta admiſiſſe, perhibet Plutarchus (2). Cum igitur Romanorum Juriſprudentia illa eadem ſit, quam Graeci ſapientiam voçabant, quin & ipſiſſima eadem ſit, quae ad illos fuit importata, eodem merito nomine, quo Graecorum, inſigniri debuit. Haec autem ſapientia, cum to-

Graecorum leges ad Urbem importatae.

Romanorum Juriſprudêtia ipſiſſima, ac Graecorũ ſapientia.

(1) Plutarchus in *comparat. Solon. & Publiol.*
(2) *L. Sacratiſſimae, C. de legibus. Autoent. ut nova fiant conſtitut. Can. in iſtis §. leges diſtin. IV.*

Digitized by Google

tota verſetur, ut vitentur facta omnia, quae laedunt pietatem, verecundiam, & exiſtimationem; ne alicujus vitam, incolumitatem, libertatem, honorem laedamus, aut violemus; utque ab alieno manus abſtineamus, hoc eſt res alterius non adtrectemus, aut minuamus, atque patiamur, unumquemque rebus ſuis uti, tria praecepta, ſeu potius Juris naturae dictata, nobis conſignat: HONESTE VIVERE; ALTERUM NON LAEDERE; JUS SUUM CUIQUE TRIBUERE; quorum primum ad modeſtiam; alterum ad temperantiam, tertium ad juſtitiam pertinet.

Juris praecepta, ſeu potius naturae dictata.

Et quamquam: *Omnium*, ut inquit Seneca (1), *honeſtarum rerum ſemina animi noſtri gerant, quae admonitione excitantur, non aliter quam ſcintilla flatu levi adjuta ignem ſuum explicat*; quin vero, & ut Cicero (2) elegantius ait, *non ſolum juſti, injuſtique ſemina, ſed virtutum omnium, quae ſi adoleſcere liceret*

Humano pectori juſti, honeſtive ſemina a natura inſita.

(1) Seneca epiſt. XCV.
(2) Cicero Lib. III. Tuſcul. diſput.

Digitized by Google

seret ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret; tamen stultorum hominum mentes variis affectibus agitatae, variis erroribus implicitae, a recta, regiaque virtutis, ac simplicitatis via deflectunt, obliquos calles sectantur, ambages, ac sinuosos quaerunt maeandros: cumque sui ipsorum plus aequo sint amantes, ignari alieni juris, & sui, proprioque in munere prorsus hospites, reddentes jura sibi penitus ignota, stultitiâ suâ imperare sapientibus autumantes, doctorum labores irrident; atque in alios injuste se gerunt, ipsorum fortunis invident, dolent de praeclare factis, aut dictis laetantur de adversis; perfidi, calumniatores, blasphemi, rapaces, foedifragi, parati semper ad nocendum, numquam vero ad benefaciendum:

Animi affectio saepe homines e recta via ducit ad sinuosam.

. . . . . *sic omnia fatis*
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,

Atque illum in praeceps prono rapit alveus amne.

Humanae leges naturalem, & divinam subſtinent.

Quocirca humanis legibus opus fuit, quae praepoſitis poenis, legem naturalem, ac divinam ſubſtinerent, errantes corrigerent, rebelles comprimerent, calumniatores talione afficerent, omneſque in officio continerent; nam ut appoſite Perſius (1) ait:

Appoſita intortos extendit regula mores.

Sapientes vero, qui ſtultis reapſe praeſtant, & naturâ, cupiditates quibus vulgus afficitur, ad rationem revocantes, ſubigunt, & cum juſtitia per ſe convenientes, leges non dominas habent vitae, ſed comites; neque magiſtras, ſed conſortes, & ſocias conſiliorum. Itaut vix ulli praeterquam ſapientibus liceat in libertatem vindicare ſeſe: quandoquidem fortunam contemtu rerum humanarum eludunt, & bonam mentem cum Croeſi copiis minime commutantes, verſiſque virtutibus in morem, congruunt legibus, non obtemperant.

Qua-

(1) Perſius *ſatyra V.*

Digitized by Google

Quapropter a Deo Summo Legislatore dati Principes, qui aliis praesint, animadvertendique jus habeant in eos, qui leges suas contemnunt, juxta illud (1): *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt*, quibus sane nos obedire oportet, non solum propter timorem, sed etiam propter conscientiam; nam ut Apostolus ad Romanos ait (2): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt, ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Cur a Deo dati Principes?

Meminerint tamen cum Ecclesiastici Praefecti, tum seculares eis collatam a Deo potestatem non in destructionem, sed in aedificationem, ut praedicat Gentium Apostolus

(1) *Proverbiorum VIII.*
(2) Paulus Apostolus *Roman. XIII.*

Digitized by Google

lus (1). Hinc Sacri Canones (2), cum nullam, & irritam, ac inanem decernant esse excommunicationem, quâ innocens adstringitur, idem asserendum pari ratione de legibus evidenter injustis, subditos his nullatenus adstringi: *Deo enim obedire oportet magis, quam hominibus*, ut responderunt Petrus, & Johannes Apostoli legalibus sacerdotibus, & scribis, a quibus prohibiti fuerant Christum praedicare (3). Neque enim licitum est obedire subalternae potestati in his, in quibus opponitur superiori potestati. Unde sapienter ait S. Thomas (4): *Potestati inferiori intantum aliquis subjici debet, inquantum superioris ordinem servat, a quo si exorbitaverit, ei subjici non oportet*. Quare populus Constantinopolitanus, qui non obtemperavit Nestorio Episcopo impium dogma de duabus in Christo personis spargenti,

Legibus evidenter injustis subditi nō tenentur.

(1) Paulus Apostolus *II. Corinth. X.*
(2) *Can. Si quis non recto, & Can. cum aliquis XXIV. quaest. III.*
(3) *Actuum V.*
(4) S. Thom. *II. II. quaest. LXIX. art. III. ad I.*

Digitized by Google

ti, laudem est consecutus a Celestino Romano Pontifice hoc nomine primo, ut patet ex ipsius epistola ad Clerum, & populum Constantinopolitanum, quae incipit: *Ad eos qui faciunt Ecclesiam Dei*, &c. ubi haec notatu digna leguntur: *Quid spei habeat grex, quando lupum se ipse Pastor ostendit, & sic oves invadit, & grassatur in singulas? Praebentur pabula, non refectura, sed noxia. Beatus tamen grex, cui dedit Dominus de pascuis judicare.*

Et quamquam nullae fuerint Gentes, ne barbaris quidem exceptis, apud quas, ut ex veterum historiarum monumentis accepimus, suae non fuerint scripto traditae, & digestae leges civiles; tamen majus prae ceteris studium in his posuerunt Romani; artemque populos non tantum armis subigendi, sed etiam justis legibus continendi, ceteris diligentius excoluêre. Quod elegantius hisce versibus exprimit Poëtarum Plato (1): Romanorum studium.

(1) Virgil. VI. Aeneid.

Digitized by Google

Excudent alii ſpirantia mollius aera:
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, coelique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane memento;
(Hae tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Hinc leges condere Orbi terrarum proprie Romanis a Deo conceſſum ex ipſo Virgilio recitat Divus Auguſtinus (1), & in legibus ferendis, jureque dicundo omnes deinceps Gentes ſummo ſibi honori duxerunt ad Romanos proxime accedere, eoſque imitari, quare non immerito a Juſtiniano Imperatore (2) Urbs Roma legum patria appellatur, nam ut cecinit Claudianus (3):

Urbs Roma legum domicilium.

Ar-

(1) Divus Auguſtinus *lib. V. de Civit. Dei cap. XII.*
(2) Juſtinianus *Novella IX. in princ.*
(3) Claudian. *de laud. Stilic. lib. III.*

Digitized by Google

Armorum, legumve parens: quae fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris.

Et ſane, nam praeter Romuli, aliorumque Regum Romanorum leges, quae ſtante Regia poteſtate, Romae obtinebant, exactis Regibus, ut Livius ait, placuit certum conſtitui jus in Republica, quo Civium diſcordiae componerentur; hac una de cauſa, ut ſuperius diximus, miſſi ſunt anno circiter tercenteſimo ab Urbe condita, tres Legati Athenas, & ad alias Graecorum Civitates, qui leges ab his populis ſervatas deſcriberent, & Romam importarent; iis vero, exacto triennio reverſis, adjuncti fuere ſeptem viri prudentes, qui unâ cum ipſis earum legum delectum haberent.

Exactis Regibus certum in Republica oportuit conſtitui jus.

Atque ita Decemviri legibus deſcribendis creati, per quos leges in decem Tabulas digeſtae: quibus non multo poſt, ut ceteris occurreretur, quae evenire potuiſſent, additae ſunt aliae duae tabulae: adeo ut totius publici, privatique Juris

Decemviri legibus deſcribendis creati.

Digitized by Google

latices ex fonte duodecim illatum Tabb. haurirentur.

Leges, Plebiscita, Edicta Praetorũ, ex quibus jus honorarium prodiit.

Hisce tabulis accesserunt *Leges*, quae ab universo populo; *Plebiscita*, quae a plebe; *Senatusconsulta*, quae a Senatu fiebant. Item *Edicta* Praetorum, ex quibus prodiit jus, quod *Honorarium* dicebatur.

Sed mutata Reipublicae facie, delatoque, ut par erat, ad unum hominem imperio; ab Augusto usque ad Justinianum per spacium quingentorum circiter annorum, mirum in modum excreverunt Imperatorum Constitutiones. Magnae quoque auctoritatis fuerunt Responsa Prudentum; non solum quia eorum consilio jus dicebant Imperatores, sed etiam quia eorum nonnullis publicam de jure respondendi facultatem concesserant.

Imperatorum Cõstitutiones, atque Prudẽtum Responsa.

Ex hisce Imperatorum ab Adriano, ad Constantinum constitutionibus, compositi sunt duo Codices, alter ab Hermogene, a Gregorio alter, quibus tertium edidit Imperator Theodosius junior, labore octo pru-

Digitized by Google

prudentum virorum usus, in quo Imperatorum a Constantino ad sua usque tempora; constitutiones inclusit.

Sed tandem Imperator Justinianus, quiete Imperio partâ, cumque Imperatoriam Majestatem, non solum armis decoratam, verum etiam legibus vellet esse armatam; jus civile in eum ordinem redigendum curavit, quo nunc utimur, electis ad id decem viris praestantissimis, qui Codices Gregorianum, Theodosianum, & Hermogeneum in unum contraherent, Legesque duobus millibus libb. sparsas in quinquaginta saltem compingerent, unde Codicis, Digestorum, seu Pandectarum origo. Codicem Novellarum, quibus novas a se latas complexus erat, necnon & libros Institutionum, quibus elementa Juris Romani, succincte continerent, composuit. Hunc librum omnium librorum juris civilis nitidissimum, comptissimum, facillimum, nulloque pene interprete indigentem praedicat Cujacius. Et sane, nam:

Jus civile a Justiniano in ordinem redactum.

Codicis, & Digestorum, seu Pandectarum origo.

Con-

Continet hic tenuis legum praecepta libellus,
Primaque Romani ſcmina juris habet.

Hos libros Inſtitutionum, cum Codice Novellarum maximo cupidae legum ſtudioſae juventuti, reique literariae bono, jamdiu nobis incognitum, veluti in lucem retraxit clariſſimus vir Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui ad Petri ſedem aſſumtus, Victor III. eſt appellatus, & in Bibliotheca Caſſinenſi conſervari ſumma ope, ac ſtudio curavit circa medium undecimi ſeculi. Sed non dubito, quin plurimi quoque Italia debeat Alphano, Alberico, Orderiſio, Petro Diacono, Amato, Pandulpho, Anonymo, aliisque Caſſinenſibus, qui veluti poſtliminii jure, ingenuas artes, & graviores Auctores, Barbarorum inundatione peſſundatos, ad nos retraxerunt; maxime autem Deſiderio Abbati ideo debemus, & quod eis facem praetulerit; & quod cum tunc temporis nullus in Italia eſſet artis typographicae uſus, graviorum

Caſſinenſibus, plurimum literaria Reſpublica debet.

Digitized by Google

rum Auctorum volumina cum libro Institutionum Justiniani, & Novellarum Codice, profusis sumtibus manu exarari, & in Cassinate Bibliotheca publico rei literariae bono adservari curasset, ut Cassinate Chronicum testatur.

Sed cum praeclara illa, atque egregia authographa veterum Jurisprudentum, & legumlatorum monumenta ab Justiniano Imperatore, summo totius Orbis bono concinnata, indeque exitiali civilis Reipublicae, totiusque Italiae malo, per plura secula sub tenebris oblivionis dilituissent tineis, ac blattis, exesa, tandem Lotharii Saxonis Imperatoris Occidentis, & Italiae Regis temporibus, uti alibi diximus, nempe ubi injustis perturbatis comitiis, Ecclesiam, Christi sponsam, fideliumque matrem lacerasset schisma Petri Leonii sub nomine Anacleti, legitime, & canonice sedente in Cathedra Divi Petri Innocentio II. cui idem Lotharius eximiâ virtute, ac prudentiâ princeps favebat, eoque proinde bellum

Pandectarum fatum.

Ecclesia conflictata schismate Petri Leonii.

Digitized by Google

lum gerente adversus Rogerium Apuliae, & Siciliae Comitem Anacleti fautorem, utpote qui ab eo Regis nomen consecutus, Panormi, quae est Siciliae Metropolis, diademate fuerat insignitus; Amalphiae Urbe Salerno proxima, & non Melphiae, ut falso alii putant, reperta fuisse, prae ceteris testatur Sigonius (1), a Pisanis, qui tum liberae Reipublicae jure fruebantur, in auxilium ingenti classe venientibus, Gerardo Cajetano duce, ac ejusdem Reipublicae Consule (2), cum latae opis praemio iisdem cessissent, Pisas importata sunt, inde a Gujo Coponio exercitus Florentini praefecto, post tria circiter secula, ea Urbe expugnata, in magnam triumphi sui partem, Florentiam transtulit, & mutato nomine Pandectae Florentinae sunt appellatae. Cumque eodem tempore Ravennae emerserit Constitutionum Imperialium Codex, & a Desiderio Ab-

Pandectae Florentiam a Coponio translatae.

(1) Sigonius *de Regno Italiae lib. IV.*
(2) Carolus de Lellis in *Familia Cajetana.*

Digitized by Google

Abbate Caſſinenſi, revocatae fuerint ipſius Juſtiniani Inſtitutiones, ac Novellae Conſtitutiones, quae per Italiam vagabantur; reviviſcentibus univerſis Romanorum legibus, cum quibus pullularunt ceterae quoque ſcientiae ſub iiſdem tenebris ſepultae, ac poſt diuturnum exilium, uberiori foenore in patriam reſtitutis, ſublatiſque veſtigiis publicae ſervitutis, emiſſo publico edicto ejuſdem Imperatoris per omnem Imperii ditionem reducendi, revocandique juris in Tribunalia, inque publicas ſcholas, quarum prima, ac celebrior inſtituta perhibetur Bononiae ſub Irnerio Juriſconſulto Imperatricis Mathildis, aulico, qui Conſtantinopoli Juri operam dederat, exarſere omnium ſtudia, omniſque Italia, veluti ad imaginem veteris Imperii, atque ad monumentum priſcae libertatis, ſuis legibus recipiendis, vulgandiſque tota fuit. Cum vero Monachi hiſce ſtudiis plus aequo ſeſe dediderint, relictis iis, quae ad eorundem inſtitutum adprime neceſſaria viſa ſunt, Alexander hoc

Edictum Lotharii reducēdi, reſtituendique Juris in Tribunalia, inque publica gymnaſia.

Juris ſtudium Monachis vetitum.

Digitized by Google

hoc nomine III. in Concilio Turonenſi, ſpeciali Canone vetuit exceſſum. Eluxere hoc tempore tres praeſtantiſſimi viri, Petrus nempe Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, qui cum Theologiam per antiquos libros ſparſam in methodum redigiſſet, quod Jo: Damaſcenus ante annos quingentos Graecis praeſtiterat, Magiſter ſententiarum eſt appellatus, & Scholaſticorum parens merito habetur. Gratianus Monachus Benedictinus, qui Decretorum librum compoſuit, & Petrus Trecenſis, dictus Cameſtor, qui Hiſtoriam ſcholaſticam edidit.

In Patriam officium.

Verumenimvero ne ingrati crimen in Patriam quiſque jure nobis objiciat, non me piget illius hîc laudes retuliſſe, nempe & quod eodem tempore relatus Rogerius venit Alliſas ex Samnii Provincia Urbem celeberrimam ab Hercule, ut creditur, conditam (1), quae olim una fuit ex Praefecturis populi Romani, & poſt praelium Sociale, teſte Frontino (2),

Rogerius Aliſanae Urbis, ac Pedemontii amoenitatem demiratus.

Co-

(1) Polyſt. cap. III.
(2) Frontinus pag. [illegible]

Colonia deducta militaris ; & in qua a S. Bonaventura circa medium decimi terti ſeculi Cives, nec non & Pedemontani ſe edoctos fuiſſe gloriantur, ut monumenta temporibus noſtris jam obruta ruinis, teſtatum faciebant ; cumque Pedemontium idem Rogerius divertiſſet, de ſaluberrimo aëre, deque amoeniſſimo Cilae monte, in quo olim, utpote in loco munito, ut Livius inquit, Annibale Carthaginienſi Aliſanam Urbem obſidione tenente, Fabius ille maximus caſtramentabatur, qui cunctando, reſtituit rem ; de amoenis diverticulis ; frondoſo nemore patulis arboribus manu conſito, per quod aquula per varias herbulas leni murmure vagabatur, de umbroſis collibus ; atque de ridenti planitie, haut ingrata Iaccho ; quam per plura milliaria ad Vulturni uſque ora adfluunt, circuuntque Vallius, Tauranuſque fluvii nitidiſſimi Mateſii montis filii, ipſum demiratum, ſibique valde complacuiſſe teſtatur Alexander Abbas Theleſinus relatus ab Ughellio in

Cives Aliſani, & Pedemontani a S. Bonaventura edocti.

Aliſanus ager, haut inamatus Iaccho.

Ca-

Digitized by Google

Cathalogo Episcoporum Allifanorum Et quod Rainulfus Allifarum Comes corpus S. Xysti I. Papae, & Martyris, quod sedente relato Innocentio II. e Basilica Vaticana, divina disponente Providentia, obtinuerat, Allifas importandum, & in Cathedrali Ecclesia sub ara maxima, omnium Civium, finitimorumque populorum laetitiâ, solemni ritu a tunc temporis Episcopis, Allifano, Cajacensi, ac Thelesino, ut traditur, necnon ab universo Clero collocandum curaverit; ibique ex constanti tot seculorum traditione, summâ fidelium veneratione est habitum, nisi quod anno MDCCXVI. ex eadem ara canonice effossum, in superiori sacello, solemniter collocatum est. Qua de re adiri potest Historia, diserte tradita a nostro Nicolao Giorgio, quem modestius se gessisse vellem adversus Alatrinos.

Corpus S. Xysti I. Papae, & martyris Allifas e Basilica Vaticana importatum.

Sed cum ad rem nostram revertendum sit, illud coronidis loco monitum velim, quod postquam studiosa juventus operam locaverit ju-

juris institutionibus, quarum sine controversia concinniores, & utiliores recensentur, quas tradit Antonius Peresius, quibus inde jungi possunt germanae Justinianaeae, adhibitis Arnoldi Vinnii commentariis, necnon ejusdem notis, quae ad commentariorum intelligentiam sunt veluti manuductio; sed ut ad Jurisprudentiae veluti ad portum se conferat, animum appellat oportet ad interpretandas proprietates, atque in addiscendis ritibus, & solemnioribus verborum formulis, quibus quoniam civile, ac sacrum Romanorum commercium irretiebatur, non immerito Jureconsulti olim totam pene curam, atque operam impendisse feruntur, utpote quorum veluti hamulis eam maxime scientiam expiscari rati sunt, qua ad enodandos plerosque juris laqueos, opus habebant. Qua de re adiri potest Barnabas Brixonius, qui improbo labore ex infinita varietate scriptorum, obscurisque ambagibus rem hanc adeo extricavit, ut sermonis elegantiam pluribus, huic vero uni

Obstrusis legum vocabulis, formulis, atque ritibus, jus civile, sacrumque Romanorū commercium, irretitum.

Digitized by Google

sacram, atque solemnem Latinae linguae supellectilem merito debeamus. Cui studio non incongruum videtur, ut adcedat & alterum, nempe de origine Juris, atque de Jurisconsultorum sectis; cum enim ad prudentiam Romanorum adtributa sit, ut superius diximus, philosophia Graecorum, plura dogmata versantur in Jure civili, quae philosophorum scholam, & praecipue Stoicorum, redolent; enimvero haec cognitio plurimum, ut ait Merillius, conferre potest ad contrariarum quandoque legum conciliationem. Quo in negocio praestaret adire Johannem Vincentium Gravinam in libro cui titulus, de ortu & progressu Juris civilis, cui si adcedat Arthurus Duck, de usu, & auctoritate Juris Romanorum, operae pretium erit.

Juris origo, ac Jurisconsultorum secta, Jurisprudentiae candidatis addiscenda.

Plura in Jure civili dogmata, secta Stoicam redolent.

Postquam vero, ut ejusdem Gravinae judicio, & phrasi utar, ab hisce altiores radices erutae fuerint, mox decurretur oportet ad ramos, nempe ad argumenta singulorum Juris titulorum, quae cognosci praestat a Wessembecii Pa-

ra-

ratitlis Digestorum, & e Peresii Paratitlis Codicis. Interea haut desit Historiarum lectio, quae partim anteire, partim comitari jus debet. Inde adcedere debemus ad ipsius Juris Romani fontes, initio ducto ab Alciato, Turemino, vel Budaeo, aut a nostro Antonio Augustino, vel ab alio quovis hisce simili. Sed ut idem Gravina recte inquit: *Inter eos Cujacius, omnium aetatum judicio, summus erit Juppiter*.

Reliquum est, ut postquam naturalis, ad Romanae Reipublicae institutionem relatae, Romanisque moribus, & literis explicatae, rationis imaginem, quod jus civile dicitur, adsecuti fuerimus, curas convertamus oportet ad Regni, nostraeque Neapolitanae Civitatis peculiares Leges, Capitula nempe, & Constitutiones, Pragmaticas, Consuetudines, ac Ritus omnes Magnae Curiae, aliorumque ejusdem Civitatis Tribunalium. Quorum sane originem, institutum, & potestatem pro dicendis, atque agendis causis, plurimum

Leges municipales addiscendae.

Digitized by Google

proderit, nam ut Cicero (1) inquit: *Si quaeretur quisnam Jurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum, & consuetudinis ejus, qua privati in Civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus est.* Unde Horatius (2), non alium optimum esse ait Jurisconsultum, nisi:

Quis optimus Jureconsultus?

Qui consulta patrum, qui leges, juraque servat:
Quo multae, magnaeque secantur Judice lites:
Quo responsore, & quo causae teste tenentur.

Hinc saepe nos demirati sumus, quod cum nostri Jureconsulti in tradenda legum imagine exterarum Civitatum, toti fuerint, municipales leges & constitutiones, quibus propria regitur Civitas, non tanti fecerint, eas, inquam, in methodum redigendo, qua studiosa juventus absque improbo labore iisdem institui posset.

Propriae Civitatis legum institutio, desideratur.

(1) Cicero *lib. I. de Oratore.*
(2) Horatius *lib. I. epist. XVI. ad Quintium.*

Digitized by Google

poſſet. Quod pro viribus per nos ſane praeſtaretur, ſi facultas daretur & ocium, ſuadente viro eruditiſſimo, amiciſſimo noſtro Michaële Gibellio Advocato Neapolitano; necnon, & Jureconſulto doctiſſimo concive noſtro Thomâ Ciccarellio, cui non parum me debere fateor, quod nullo turgens loligionis ſucco, tenues hoſce labores noſtros in lucem edi exoptaverit, ut Patriae decori eſſent, & ſtudioſae juventuti, quam nos inſtituere ſuſcepimus, auctore Deo, prodeſſe poſſint, ut ſperamus.

Verumenimvero, quamquam nedum leges divinae, ſed & humanae, divinas, humanaſque res bene diſponant, ut loquitur Juſtinianus; tamen, cum hominibus variis affectibus agitatis, ſeu ſui ipſorum plus aequo amantibus, veritas ſit ingrata; quin vero haec placet aliquando, & probatur voluntati, ſed cum ſui ipſius tantus ſit amor, ut voluntatem vincat, & ad ſe pertrahat, itaut juſtum, atque honeſtum, aut diſcernere nolimus, aut nequeamus. Quod eleganter expreſ-

Cui veritas ingrata?

Digitized by Google

sit Medaea apud Ovidium (1) initio libri septimi Metamorphoseon.

. . . . . si possem, sanior essem:
Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora, proboque
Deteriora sequor . . . . . .

VI. DE ELOQUENTIA.

Hinc, ut tanto huic occurreretur malo ad insidias, ut ita dicam, eloquentiae confugiendum fuit, quae, sive veris rerum argumentis eam menti vim faceret, quae cum ratione coalescant; sive orationis illecebris flecteret, & dicendi facibus animum accenderet ad regiam, rectamque viam justi, atque honesti. Quare viri eximii non pauci Romanas leges absque Romana eloquentia nec intelligi, nec explicari posse opinantur. Quod sane vel ex hoc intelligi potest, nempe quia a defluentibus philosophiae, & eloquentiae viribus, atque facultatibus, omnis creverit Jurisprudentia, quae & a philosophia utilitatem senten-

tia-

(1) Ovidius lib. VII. Metamorfoseon.

tarum, & prisca eloquentia vim omnem, atque orationis temperantiam mutuaverit. Hinc nemo infitias iverit, quin antiquissimi Romanorum Jurisconsulti Scaevola praecipue, Julianus, Papinianus, aliique hisce similes, Latinitate inclinata, germani Latini eloquii candorem, & Attici styli pudicitiam solidiori philosophiae conjunxerint.

Jurisconsulti antiquissimi solidiori philosophiae, Latini eloquii splendori conjunxerunt.

Sed *non admoveri potest oratio*, ut inquit Cicero (1), *ad sensus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam extinguendos, (quod unum in Oratore dominatur) sine diligentissima pervestigatione earum omnium rerum, quae de naturis humani generis, ac moribus a Philosophis explicantur*. Quare apposite Quinctilianus (2) hac de re: *Probationes*, inquit, *efficiunt, ut causam nostram meliorem esse Judices putent: affectus praestant, ut etiam velint; sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum irasci fa-*

(1) Cicero *lib. I. de Orat.*
(2) Quinctilianus *lib. VI. cap. II.*

Digitized by Google

vere, odisse misereri coeperint, agi rem suam existimant. Et sicut amantes de forma judicare non possunt, quia sensum oculorum praemit amor; ita omnem inquirendae veritatis rationem Judex amittit, occupatus affectibus. Huc igitur incumbat Orator, hoc opus ejus, hic labor est; sine quo cetera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt; adeo velut spiritus operis hujus, atque animus est in affectibus. Quod cum acutissimus Censor, & emunctae naris Poëta Horatius (1) probe intelligeret, duo laboriosa tractari, & consequi per nos posse, nempe affectum, & evidentiam, dixit, cum ait:

Oratoris opus, & labor.

Ac ne forte putes, me, quae facere ipse recusem,
Quae recte tractent alii laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,

Ir-

(1) Horatius in *arte poetica*.

Digitized by Google

Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, & modo, &c.

Jure itaque conqueritur Vicus (1); *Illud incommodum nostrae studiorum rationis maximum esse, quod cum naturalibus doctrinis impensissime studeamus; Moralem non tanti facimus, & eam potissimum partem, quae de humani animi ingenio, ejusque passionibus ad vitam civilem, & ad eloquentiam accommodate, de propriis virtutum, ac viciorum notis, de bonis, malisque artibus, de morum characteribus pro cujusque aetate, sexu, conditione, fortuna, gente, republica; & de illa decori arte omnium difficillima disserit; atque adeo amplissima, praestantissimaque de Republica doctrina nobis deserta ferme, & inculta jaceat.* Hinc certo colligit, quod ex neglecta hominum naturae vestigatione, illa duo Adolescentibus futura incommoda, ut porro nec satis vitam civilem prudenter

Incommodum nostrae studiorum rationis maximum.

Alia duo futura incommoda.

(1) Vicus *de nostri temporis studior. Rat. par.* XLV.

ter agant, nec orationem moribus tingere, & affectibus inflammare, satis sciant. Et haec videtur ratio cur olim sive Peripatetici, sive Academici, & in Lyceo, & in Academia morum disciplinam ad eloquentiam adcommodate tradebant; animi enim perturbationes, aliaque interioris hominis mala, quae ab appetitu, tanquam ab uno fonte promanant hae duae solae res ad bonos usus traducunt, philosophia, quae eas sapientibus temperat, quo virtutes evadant, & eloquentia, quae eas in vulgo incendit, ut faciat officia virtutis. Eloquentia enim est officii persuadendi facultas. Is autem persuadet, qui talem in auditore animum, qualem velit, inducit. Sapientes hunc animum sibi inducunt voluntate, nec opus est orationis lenociniis, ut velint, sed satis est, doceas, ut faciant. At multitudo, & vulgus, cui neque veritas, neque aequitas cordi est, utpote qui ab appetitu tumultuoso, & turbulento rapitur, & abripitur, non trahitur, nisi quibusdam cor-

Cur Peripatetici, & Academici morū disciplinam ad eloquentiam adcommodate tradiderit.

Quid sit eloquentia?

Digitized by Google

corporeis machinis, ut faciat officia virtutis; hinc per orationis illecebras, verborumque lenocinia est alliciendus, ut amet: nam ubi semel amat, facile docetur, ut credat: & ubi credit, & amat, facili negocio ducitur, ut velit: qua ratione se Lucretius praecepta naturalis philosophiae tradidisse fatetur, cum ait (1):

Orationis illecebris, verborumque lenociniis vulgus est alliciendus, ut amet, ut inde credat, ac facili negocio ducatur, ut velit.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore
Ut puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat:
Sic ego, &c.

Hinc idem Lucretius maximis se lau-

(1) Lucretius *lib. II.*

Digitized by Google

laudibus alibi extollit, quod id facitaret, cum ait:

.....juvatque novos decerpere flores
Insignemque meo capiti petere inde coronam;
Unde prius nulli velarint tempora Musae;
Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina Musaeo contingens cuncta lepore.
.....volui tibi suavi loquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram
Et quasi Musaeo dulci contingere melle
.....nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam .....

Mellitis itaque verborum poculis, non secus ac quae ab Herculis Gallici ore exibant catenulae, quibus post se ingentem hominum vim traheret potius, quam duceret, vulgum abripi oportere, necesse est. Uni Sapientes solâ vi veritatis ducuntur, ut non immerito apud Areopagitas cautum fuisse compertum est, nemini licuisse, causam age-

Sapientes sola veritatis viducũtur.

Digitized by Google

agere, vel dicere, nisi omissis hujusmodi phaleris, & orationis lenociniis.

Sed cum Oratoris officium sit docere, delectare, commovere, id unum hîc meminisse velim, ut comis sit orationi brevitas, ea nempe, cui nihil desit: haec etenim maxime idonea est, ut inquit Johannes Pontanus, ad docendum, ad movendum. Nam nec docere bene potest, qui loquaciter explicat: parit enim loquacitas contemtum, & satietatem, quae docilitati adversatur, ac delectationi. Hinc Horatius in sua Poëtica, ut inquit noster Franciscus Pedimontius (1): *Consulto brevissimus fuit, ut desinant hallucinari, qui nimiam ei brevitatem crimini dare conantur.* Et Plato in Protagora, ut advertit Marsilius Ficinus (2), antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse scribit, quam breviloquium quoddam: idque esse viri absolute sapientis, paucis multa complecti. Hac ratione Hip-

Oratoris officium.

(1) Franciscus Pedimontius in *Poetica Horatii.*
(2) Marsilius Ficinus in *Dionysium Areopagitam.*

Digitized by Google

Hippocrates composuit Aphorismos, Pythagoras quoque Symbola, & superiore flamine afflatus Proverbia Salomon. Verum inficias minime ivero, quin primum omnium consideranda ejus persona, qui verba facit: qualis ea sit, & persona ejus, ad quem fiunt. Consideranda & aetas, occasio, locus, fortuna, res subjecta, de qua habetur oratio; decet enim alia aliam aetatem; neque eadem senem, & juvenem decent; alia viro, alia mulieri, alia amatori, alia pudico; alia Laconi brevi, & dulci, alia Attico, multiloquo homini, alia servo, alia libero, alia militi, alia agricolae. Unde Horatius in Poëtica Arte:

Ut decorum fervetur, quid?

Intererit multum Davusne loquatur, Eros ne:
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercatorne vagus, Cultorne virentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.

Hinc

Digitized by Google

Hinc est, quod, ut adnotavit Paulus Manutius (1) : Valde brevitatem Brutus amabat in scribendo, tum quia naturâ severior, tum quia Stoicorum disciplinae se penitus addixerat. Extant, ut idem inquit, ejus epistolae brevissimae ; & hanc ejus consuetudinem Plutarchus, Appianusque commemorant. Sed hujus decori accuratissimus aemulator extitit Virgilius (2), tumve praecipue, cum Jovem loquentem inducit ; secus vero cum Venerem, Junonem, alioscque deos, quod indicare videtur, dum inquit :

Brutus cur brevitatem amaret ?

Juppiter haec paucis ; at non Venus aurea contra
Pauca refert . . . . . .

Sed in hac brevi loquendi gravitate, Latinum Jovem ab Etrusco longe superatum fuisse apud Torquatum (3), Critici censuêre.

Latinum Jovem ab Etrusco superatum.

Ceterum Coronidis loco, id me-

(1) Paulus Manutius in *epist. XVIII. Ciceronis ad Brutum.*
(2) Virgilius *Aen. X.*
(3) Torquatus *cant. I. stan. XII., cant. IX. stan. LVIII., cant. XIII. stan. LXXIII.*

Digitized by Google

meminiſſe ſat erit, quod Horatius innuit in arte poëtica:

Scribendi recte, ſapere eſt & principium, & fons
Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae.

Orator debet eſſe inſtructus chartis Socraticis.

Ex quo ſummi Poëſeos Legislatoris loco facile quivis intelligat, Oratorem chartis Socraticis eſſe inſtructum oportere, in iis enim ex ore Socratis plurima eloquitur divinus Plato ad eloquentiam ſatis accommodata: Hinc, ut Quinctilianus (1) ſcribit: *Philoſophorum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiae M. Tullius confitetur; quis dubitet Platonem eſſe praecipuum eloquendi facultate, divinâ quâdam, & Homericâ? Multum enim ſupra proſam orationem ſurgit, ut mihi non hominis, ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus.* Et ſane, nam ut ipſe inquit Cicero (2): *Libros Platonis mirabiliter ſcriptos. Illa ſcripta ſunt divinitus, Pla-*

(1) Quinctilianus *lib. I. cap. I.*
(2) Cicero *lib. III. de orat.*

Digitized by Google

Plato, non linguae ſolum, verum etiam animi, ac virtutis magiſter: Et iterum (1): *Quis uberior in dicendo Platone? Jovem ſic, ut ajunt Philoſophi, ſi Graece loquatur, loqui; Platoni enim*, ut idem ſubdit (2): *Cum in cunis parvulo dormienti, apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt, ſingulari illum ſuavitate orationis fore: ita futura eloquentia, praeviſa in infante eſt.* Nil igitur mirum, ſi ad expiſcandam ſapientiam, quam ad eloquentiam unice requiri haut quis inficias iverit, ad Platonis Dialogos nos mittat Horatius: Plato enim, ut cum Apulejo loquar, non ſolum ingenio, atque doctrinâ ceteros Socraticos vicit, verum etiam elegantiâ illuſtravit. Sapientiam aſſerere viſus eſt elegantiâ, per quam venuſtate, & majeſtate verborum plurimum adhibuit dignitatis. Et cum alii impolitas ſententias, & incomtas auditoribus tradidiſſent, eas

Facundia Platonis, apum praeſagio indicata.

(1) Cicero *lib. de clar. orat.*
(2) Idem Cicero *lib. I. de divinat.*

Digitized by Google

ſic cum oratione limando, tum ad orationis auguſtae honeſtiſſimam ſpeciem deducendo, perfectas, atque etiam admirabiles fecit.

Verba idearum, & ideae ſymbola, & notae ſunt rerum.

Verum, quoniam eloquentia rebus conſtat, & verbis quae rebus efferendis ſunt neceſſaria; quippe uti verba idearum, ita ideae ſymbola, & notae ſunt rerum. Quare quemadmodum legere ejus eſt, qui colligit elementa ſcribendi, ex quibus verba componuntur, ita intelligere eſt colligere omnia elementa rei, ex quibus perfectiſſima exprimatur idea. Hinc eſt, quod ubi adoleſcentes ſatis collegerint elementa, ſive ſignificationes, ordinatasque compoſitiones verborum, continuo adducendi ſunt ad fontes, e quibus haurire valeant elementa rerum, quos ſane fontes haut aperit vulgaris, ſtereliſque Rhetorica, quae verborum potius coloribus notandis, quam uberioribus ſententiarum copiis proferendis, praecepta conſignat; ſed aſſidua optimorum rerum Scriptorum lectio, atque conſuetudo, unde Tullio ipſo ju-

Digitized by Google

judice, ea bene dicendi facultas, nedum naturae beneficio, quam bonorum Scriptorum imitatione maxime comparatur; & sane, nam *cum ex infantibus*, ut alibi ex S. Augustinus (1) diximus, *loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium; cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum adsequi conceditur, imitando?* Hinc elocutio praeparatam inventionem ultro sequitur; rerum enim copia verborum copiam gignit. Quare postquam Horatius (2) facultatem recte poëma condendi a philosophia suppeditari indicavit, statim subdit:

Eloquentia nedum naturae beneficio, quam optimorum Scriptorum imitatione comparatur.

Copia rerum, verba suppeditat.

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Et post:

Qui didicit patriae quid debeat, & quid amicis:
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes:

(1) S. Augustinus *de doctrina Christiana cap. IV.*
(2) Horatius in *arte poëtica.*

Digitized by Google

Quod sit conscripti, quod judicis officium: quae
Partes in bellum missi ducis: ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.

Eloquentiae vis tota in affectibus ciendis.

Ceterum praecipue in hoc uno consistit eloquentiae regnum, ut affectus ciendo, vim animis adferamus. Et quamquam apud veteres Sapientes, & cordatos viros, quos satis est ut doceas, quo faciant officia virtutis, haut opus sit affectus ciere, ut apud Areopagitas lege cautum fuisse, in Anacharside testatur Lucianus: tamen apud rudem populum, utpote ab appetitu turbulento raptum, & abreptum; rationum pondus parum perpenditur, omnino eorundem animis, sicut & eorum, qui licet supra vulgus sapiunt, quod adprobant, non amplectuntur, exemplo Medeae apud Ovidium initio libri septimi Metamorphoseon, faces admovere opus habemus, quo ad honestas actiones facile perducantur. Quod sane recte fieri, etiam Isaiae, Pauli, aliorumve coelestium va-

Digitized by Google

vatum, cuique in Sacram Scripturam oculos conjicienti, obvia fient exempla. Quapropter Oratores in ſacris concionibus toti ſunt in affectibus ciendis in auditorum animis, ut nempe relicta prava peccandi conſuetudine, timore imminentium poenarum, ambulent in via Dei. Quo in negocio, non dubito quin prae ceteris eluxerit Paulus Segnerus ex nuſquam ſatis laudanda Jeſuitica Societate, cujus exemplum eſſe poteſt, vel prima, ac divina concio, ubi cum de damnatorum poena agat, ita *ſuccenſum in* Dei *furore ignem*, auditorum animis admovet, ut nemo ſane fuerit, qui ſe cremari non ſentiat, ac poenitentiae lacrymis ſibi praeparatum ignem non extinguat. Quare hic ſacer Orator, tum prae Etruſci ſermonis puritate, cum prae figurarum ſplendore, atque eloquentiae viribus, optimis certe, non dubito quin conferendus ſit ab aequis rerum aeſtimatoribus, ut non temere putarim, quicquid ſcituli obſtrepuerint, ab hujuſce lectione, & imitatione, longe melius quam

Paulus Segnerus prae ceteris ſacris Oratoribus, affectibus ciendis, praecipuus.

Digitized by Google

a turbulentis Boccacii ſordibus ſtudioſae juventuti eloquentiam hauriendam fore, vel ex eo, quod non ſemper, nec omni loco, rei de qua agitur, congruit familiaris Boccacii elocutio, ut poſt alios nuper advertit eruditiſſimus Joſephus Citus (1).

Ceterum nedum ſacri, ſed etiam profani Oratores affectibus ciendis praecipui ſunt, ut videre eſt apud Ciceronem in oratione pro Sexto Roſcio Amerino, pro Q. Roſcio Comoedo, in Verrinis, Catalinariis, Philippicis, pro Milone, pro Marcello, aliiſque; ubi notatum velim; artificium ciendorum affectuum conſtanter pendere ab narrationibus, & conjecturis ex circumſtantiis enarrati facti, erutis. Qua de re conſule Joſephum Mariam Platinam, qui nuper opus edidit movendis affectibus ſatis utile.

Unde affectus ciendi pãdeat artificium.

Sed coronidis loco hic adnotare praeſtat, quod divini Platonis opera, Barbarorum inundatione peſſum ire vi-

(1) Joſephus Citus *adnot. ad P. Bartol. pag. CXIX.*

Digitized by Google

viſa ſunt cum ceteris illuſtrium Philoſophorum voluminibus, uno excepto Ariſtotele; tandem, poſt quinque ſecula, & amplius, ad nos innataſſe fertur occaſione Concilii Florentini ſub Eugenio IV. circa dimidium ſeculi decimi quinti; illa enim PP. Graecos eo importaſſe docet Thomas Campanella Stylenſis (1), & Ficini operâ illuſtrata traduxit ad poſteros Laurentius Medicaeus Coſmi nepos.

Platonis opera olim Barbarorum eluvione peſſundata, ad nos poſt quinque ſecula transmigrarunt.

Sed lubet nunc ab Eloquentia ad Poëticam tranſmigrare, utpote quae cum illa maximam habet adfinitatem; utrique enim propoſita eſt morum correctio, atque affectuum purgatio. Sed quoniam Poëta cum Vulgo agit, quae ſevere, & ingenue Orator, ille perſpectâ rerum, actionum, perſonarumque naturâ, earum ſimillimas imagines referre, & pulchrius, quam ſoleant pictores, mutis pigmentis, loquente in tabula, circumductis verborum

VII. DE RE POETICA.

(1) Thomas Campanella *quaeſt. I. de Gentil. non retinen.*

Digitized by Google

coloribus expingere. Poësis enim eo tendit, ut delectet simul, & moveat; unde, ut hunc finem feliciter adsequatur, adjecta est voluptas: *Saepius enim nobis*, ut Quinctilianus (1) ait, *apud omnino impios loquendum est; quos nisi delectatione allicimus, vincere non possumus*. Hinc adjecta est Poësi delectatio, ut eâ tanquam instrumento utamur ad alliciendum, quod innuit Horatius, cum ait:

Finis Poësis, & quid ut eũ adsequatur, agat.

Adjecta est Poësi delectatio, ut eâ tamquam instrumento ad alliciendũ, utatur.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando; pariterque monendo.

quam vulgus tanquam praedam, non secus, ac vultur adripiat. Hinc Lucretius (2) postquam nota similitudine usus est, subdit:

Sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Vulgus abhorret ab hac; volui tibi suavi loquenti

Car.

(1) Quinctilianus *lib.V. cap.XIV.*
(2) Lucretius *lib.IV.*

Digitized by Google

Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi muſaeo dulci contingere melle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, ac praeſentis utilitatem.

Plato cur fabulis uſus eſt?

Et ut Ficinus advertit: *Plato*, inquit, *fabulis uti videtur; ut inter varios Academiae flores oblectentur quidem omnes, ſed expiati dumtaxat poma decerpant, veſcantur ſuavius, facilius concoquant, perfectius nutriantur.* Nec ſane temere decantatum illud videtur, quod cantu, & fidibus Amphion Thebis maenia circumdidiſſet; feras, ſylvaſque, montes, Orpheus deduxiſſet; fluviorum curſus repreſſiſſet; videlicet divinâ, ac poëticâ dicendi ratione, qua illi pollebant, rudes tunc temporis homines, veluti ſaxa duros, & horridos, ut feras immites in ſocietatem vitae humanioris retraxerunt, ut omnes animorum impetu,

Blandis Poëtarum precibus, rudes homines ad ſocietatem vitae humanioris retracti.

petu, & ferociâ concitatos compreſſerunt, eoſque docuerunt, ille quomodo ſeipſi muro ab hoſtibus defenderent, hic ut conſuetudinem illam vivendi inconditam, & agreſtem ad ornatiorem, mitioremque cultum traducerent. Quin vero nulla alia vi nedum coetus agreſtium, duriorumve hominum convocatos, Urbes communitas, ſed etiam Jura deſcripta, & Reſpublicas fundatas, inquit Horatius (1):

Poëtarum ſapientiâ coetus hominum cõvocati, Urbes communitae Jura deſcripta, & Reſpublicae fundatae.

Sylveſtres homines ſacer Interpresque Deorum
Caedibus, & victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire tigres, rapidoſque Leones:
Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet; fuit haec ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,

Con-

(1) Horat. in *arte poëtica*.

Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Ex dictis facile colligitur ſummos illos Poëtas Orpheum, & Amphionem eos feros, & immanes homines ad vitam civilem, & humaniorem traduxiſſe. Sed quomodo per eos id factitatum fuerit, plurimum negocii faceſſit expiſcari, niſi meminerimus Poëtae cum vulgo totam rem eſſe, quem cum ab appetitu turbulento rapi, & abripi notum ſit, non capitur ſane, niſi phantaſiae per corporeas imagines vim faciat. Hinc oportuit, ut Poëta fictis quibuſdam imagibus excogitatis, ad veri cognitionem ſub illis imaginibus latitantis retraheret, aut impelleret. Quare Poëtam a philoſophia numquam diſcedat oportet, non enim ſatis eſt commovere animos, aureſque perſonare ſtrepitu verborum; ſed reddendis per imaginem caſibus humanis, deſcribendis in ſimulatis perſonis animis noſtris, objiciat oculis formam humanitatis,

Poëtae cum vulgo tota res eſt.

Poëtae a philoſophia nusquā diſcedendum.

gra-

graviſſimiſque ſententiis undique interjectis, mentis depravatae curationem, & optimum vitae regimen oſtendat. Quod ut res exemplo clarior fiat, meminiſſe oportet horrendarum furiarum imagines excogitaſſe, quibus phantaſiae vim inferrent, ut ab eorum cordibus, animi perturbationes, quae a Philoſophia Sapientibus ſola vi rationis temperantur, expugnarent. Quapropter ſub Alecti imagine, Teſiphone, ac Megerae, veluti per oculorum cuniculos Vulgo immiſerunt perturbationis, vindictae, odii, & invidiae naturam, quae a Philoſophis, ſolo intellectu duce, percipitur. Eodem quippe veluti incantationis modo exuſcitarunt Poëtae populo deteſtandam avaritiae indolem ſub Tantalo perſonatam; unde de eo Poëta cecinit:

Cur horrendarum furiarum imagines a Poëtis excogitatae.

Quae vulgus quibuſdã imaginibus, Philoſophus, ſolo intellectu duce, percipit.

Avaritiae indoles ſub Tãtalo perſonata.

Heu miſer in mediis ſitiens ſtat Tantalus undis,
Pomaque, quae nullo tempore tangat, habet!
Abſcedunt undae, quaeque imminet effugit arbor

Tan-

Digitized by Google

Tantalus in media garrulus aret aquâ.

Sed nec nova eſt miſerrima Tyrannorum imago a Theognide, veteribuſque Tragicis, vivis delineata coloribus, & a divino Platone (1) Thraſymacho ſophiſtae adtributa; quam ſane dum oculis Principum objiciunt Poëtae, nil aliud ſtudent, quam ex teterrimo illius adſpectu, atrocem eam, ac immanem regnandi inſtitutionem, penitus eradicare; ipſi enim cum in ſceleribus, & fraudibus toti verſentur, dominationemque in artem piraticam, & praedatoriam vertunt, libidinem augent ſuam, & dum privatorum, ac Reipublicae tranquillitatem evertunt, ſuarum perturbationum fiunt adminiſtri; coguntur enim timere ſingulos cives, dum terrent univerſos, longeve ſemetipſos crudelius, quam eos excruciant. Hinc Nicolaus Machiavellus, aliique hujus decretorum aemuli, inſtitutionibus ſuis, nihil aliud ſane conari videntur, quam & Prin-

Tyrannorum imago a veteribus expreſſa.

Nicolaus Machiavellus ejuſque aemuli inſtitutionibus ſuis, & Principem, & Principatum conātur evertere.

(1) Platone in *lib. de Republ.*

& Principem, & Principatum evertere. Imitetur igitur Princeps oportet Augustum Caesarem, cui nullum gratius potuit esse nomen, quam *patris patriae*; & merito, nam imperium inter homines, ut observat, illustris Bossuetus, Meldensium Episcopus, praeclaro illo opere posthumo, cui titulus: *Politica ex ipsis scripturarum verbis erata*, a patria potestate sumpsit initium.

Artificium, quo Poëtae olim vitia fugarunt.

Sicque hisce imaginibus, rudibus hominum cordibus, veluti insculpserunt aliorum vitiorum naturam, atque eodem artificio, quo vitia fugarunt, excitarunt gentibus virtutum ideas, earumque mentibus quoddam lumen honesti effundentes, ad Dei cultum illas retraxerunt.

Sed non dubito, quin is concipiendi modus, qui vulgo fit per conversionem mentis ad imagines in cerebro depictas, quique ideo imaginatio vocitatur, ortum duxerit, nempe quod uti a Divo Augustino observat Arnaldus (1), homines post pec-

(1) Arnaldus in *artē cogitandi capit.*

Digitized by Google

peccatum Adamiticum, ita assuevêre rebus tantum corporeis considerandis, ut pars maxima judicet nihil posse concipere, quod nequeat etiam imaginari. Et id causae videtur cur imagines in Ecclesia receptae sint, nempe ad eruditendum vulgus, ad monimentum memoriae, & ad concitandos affectus, qui commoventur magis visu, quam auditu, juxta illud Horatii (1):

Pars maxima hominum cur nil se concipere posse judicat, quod nequeat imaginari?

Affectus magis visu, quam auditu excitatur.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, & quae
Ipse sibi tradit spectator . . . . .

Quare tametsi Deus, & Angeli sint spiritus, & nulla effigie figurari possint, eo tamen nomine permissae sunt in Ecclesia Imagines Dei Patris, Spiritus Sancti, & Angelorum, quas temere improbant Protestantes Iconoclastorum haeresim renovantes.

Sed ad rem nostram regrediamur.

(1) Horatius in *arte poetica*.

Digitized by Google

Poëtica apud antiquissimos Hebraeorum propagandae Religionis ergo.

mur. Quippe non alibi Poëticam artem apud antiquissimos Hebraeorum inclaruisse putandum est, quam propagandae Religionis ergo; unde Moyses magnus Hebraeorum Imperator, cum ex Aegypto eos in patriam reduceret, statim atque mare rubrum, divinitus cedentibus aquis, transgressus est, divino Numine afflatus, auctore Josepho (1), hexametrum carmen omnibus poëticae artis pigmentis exornatum, quo Deo gratias ageret, edidit. Deinde David ille divinus Dei vates vario metro hymnos composuit, ut idem Josephus (2) testatur. Quin vero & ipsius lyrae, fistulae pastoralis, atque adeo musicae repertor Moyses existimatus est. Idem buccinam eam reperit, quae *Asofra* ab Haebreis appellatur, & describitur ab eodem Josepho (3); cum alioqui lyra, & alia pleraque instrumenta musica ab Oriente sane prodierint, ut consideranti, vel nomina ipsa satis su-

Moyses fistulae pastoralis, ac musicae auctor.

(1) Josephus *lib. I. de antiquit. Judaeor.*
(2) Idem *lib. VII.*
(3) Idem *lib. III. cap. XI.*

Digitized by Google

ſuperque oſtendunt. Hinc Juvenalis (1):

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum Tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana ſecum
Vexit . . . . . .

Plurima Poëtarum genera.

Et quamquam plurima ſint Poëtarum genera, veluti Epici, Elegiaci, Lyrici, Comici, Tragici, Satyrici; cujuſque tamen finis eo tendit, ut delectando moveat; aureis videlicet, nitidiſque armis arcu ſonoro vibratis, dulce vulnus incutiendo, vincat, triumphet; hinc eſt, quod bellicum quoque arcum, pharetram, & ſagittas cum ſua lyra jure nectit arbiter, & Rex Muſarum Apollo.

Poëticae utilitas.

Poëſeos autem ex eo deprehenditur utilitas: nam Epopoeja, ſive Poëſis heroica ſuis exemplis excitat ad virtutem; quod in Aenea ad Aſcanium loquente expreſſit matro-

Epopoeja.

(1) Juvenalis *ſatyra III.*

Digitized by Google

na Virgilii Musa (1), hisce cedro dignis carminibus:

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter praemia ducet.
Tu facito mox, cum matura adoleverit aetas,
Sis memor, & te, animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.

Et in Ulysse Homerus, de quo Latinus Pindarus (2):

Rursus quid virtus, & quid sapientia possit
Utile proposuit nobis exemplar Ulysse.

Vetus Comoedia. Vetus Comoedia id omnino studuit, ut mores Civitatis emendaret, Civesque ad meliorem administrandae Reipublicae rationem informaret. Hinc Aristophanes modo Athe-

(1) Virgilius *Aen. XII.*
(2) Horatius *lib. II. epist. II.*

Digitized by Google

Athenienſes reprehendit, quod malis artibus ditarentur; modo quod depravatis patriae inſtitutis praeter veterem diſciplinam inſtitui juventutem, praveque ac perperam philoſophandi ſtudiis teneri paterentur; modo quod optime de Republica meritos, vel magiſtratu, imperioque privarent; vel exilio multarent; male meritis honores deferrent, tum quod pace neglecta belli cauſſas excitarent. Quin vero vetus comoedia perſtrinxit viventium Civium mores, ut cogerentur metu infamiae. Unde Venuſinus Vates (1):

Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur;
Quod moechus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabat.

Nova Comoedia.

Nova Comoedia, cum privatarum actiones perſonarum, ut privatim ſuos quiſque mores in aliena perſona reprehenſos emendet, probatos autem ſectetur; effingit. In

(1) Horatius *lib. II. ſatyra IV.*

Senioribus ſtultitiam, aſperitatem, moroſitatem, avaritiam improbat; probat prudentiam, lenitatem, facilitatem erga liberos. In Adoleſcentibus imprudentiam, impuritatem, libidinem vituperat. Laudat temperantiam, modeſtiam, obedientiam, pietatem erga parentes. In ſervis infidelitatem, improbitatem, fallacias accuſat; fidelitatem, probitatem commendat. Et quamquam malos ſaepiſſime exprimat mores, id facit, ut quae ſunt fugienda, doceat.

Lyrica. Lyrica, aut divinum cultum hymnis promovet, aut laudatione praeſtantes evehit. Adhibet chorum

Tragoedia. Tragoedia, qui minus honeſta reprehendat, interdum etiam ſapientem virum, qualis fuit ille Tireſias, quem vel apud Inferos ſolum ſapere, Homerus oſtendit.

Satyra. Satyra, quae utpote deſumta a Graecis, Tragediae ſoboles erat, irridet, & exagitat flagitia, ac ſcelera, ut ab illis abſterriti, objurgatione, & irriſione, impellamur ad virtutem. Haut igitur mirum ſi a Poëtis tam mul-

Digitized by Google

multa, ac tam varia descripta reperiantur; quippe statum rerum humanarum, ut effingerent, susceperunt, in quo tot accedunt, atque ita diversa omnium vitiorum, ac virtutum omnium exempla, tot atque ita diversa hominum studia versantur, & alii quae sunt honesta, alii quae jucunda, alii quae utilia consequantur, partim rerum publicarum, partim privatarum commoditate omnia metiantur. Augent, amplificant, exaggerant haec Poëtae, videlicet, cum immania haec sint, multo immaniora, quae humana, multo humaniora fuisse ostenderint, ut ab immanitate deterreant, ad humanitatem eorum, qui audiunt, animos hortentur. Hinc est, quod antiqui Sapientes Poësim quandam esse Philosophiam fabularum involucris tectam asseruerunt; enimvero cum prisci Philosophi sapientiae mysteria in vulgus edi noluerit, nefas esse putantes philosophicis initiari sacris, quem non praestanti ingenio natum, & egregia virtutis indole praeditum perspexissent; poëtica

Poësis, quae dam est Philosophia fabularum vestibus circumdata.

Digitized by Google

inventione, ac poëticis numeris circumdata, ostenderunt. Hinc nemo veterum poësim attigisse perhibetur, quin prius cultus, & locupletatus a Philosophis esset, unde & secum auferebat acumen, & sententiarum copiam: quorum aliqui praestantissimi ingenio viri, quamvis in Poëtarum albo eminere potuissent, solo Philosophorum nomine contenti fuere, talis Socrates, teste Tullio (1), primus perhibetur, qui contemta metri lege, eam nudato capite, vultuque non velato, sed aperto, prospiciendam tradidit; quinvero & ejus discipulus Plato, quas scripserat tragoedias, combussisse fertur, & colores, fabulas, necnon & spiritus Poëtarum, quibus dictionem suam adtollebat, ad philosophiam traduxit, ut nempe poëtico dicendi genere, quo forsan ab aemulo suo Euripide superatum iri suspicabatur, ipse philosophis ceteris praecelleret.

Socrates primus, qui nudato capite, ac contemta metri lege, moralem philosophiã edocuit.

Ceterum Romanae fidicen lyrae

(1) Tullius *lib. I. Academ. quaest.*

Digitized by Google

rae Horatius epistola ad Lollium ostendit Homerum in suis Poëmatis plenius, ac melius quam philosophos, quid honestum sit docuisse. In Iliade quidem quales sint in stultis Regibus, & Populis animi motus, describi: in Odissea autem Ulyssis exemplo quid virtus, & sapientia possint, ostendi. Deinde ad studium sapientiae hortatur, utpote quam recenset animi morbos sanaturam. Ac veterum Poëtarum libros legentibus, multa passim prudenter dicta occurrent, occurrent & exempla, quibus omnis institutio vivendi expressa ante oculos proponitur; jura quoque, ac leges, & civilis omnis scientia. Quaecumque enim de judiciis, de poenis, & de praemiis apud Elysios traduntur, ad hanc sane pertinent disciplinam, ut bonis optimam, beatissimamque vitam; malis gravissima supplicia comparata esse intelligamus. Quin vero, neque ex Academia, neque ex Lyceo, neque ex alio Philosophorum gymnasio quemquam ita in rerum caussas investi-

Homerus plenius, quã philosophi, quid honestum sit, ostendit.

Omnis honeste vivẽdi institutio a Poëtis oculis nostris objicitur.

Digitized by Google

gasse, quo Poëtae non multo melius praestitissent, ut recte nec citra verum dixerit Vicus (1) antiquissimos Poëtarum, Physicos etiam fuisse, ut conjicere est ex phrasibus, quas ipsi bona in parte usurpant, quibus scilicet naturales rerum caussae explicantur, ut patet ex hisce: *sanguine cretus*, pro genito: *abire in auras*, pro mori: *ignis circa praecordia fervens*, pro febri: *concretus in aëre vapor*, pro nube: *excussus nubibus ignis*, pro fulmine; aliisque sexcentis, quorum sane non est ut hic longus retexeatur catalogus. Hinc est, quod Silenus secundum Epicureorum opinionem de rerum primordiis edoctus, in gratiam Quinctilii Vari, qui teste Donato una cum Virgilio eidem sectae sub Sirone philosopho operam dedit, apud Latinum Homerum (2) scite:

Antiquissimi Poëtarum, physici.

.....canebat, uti magnum per inane coacta

Se-

(1) Vicus *de nost. tempor. stud. Rat.*
(2) Virgilius *Eclog. VI.*

Digitized by Google

Semina terraramque, animaeque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit Orbis.

Et idem Poëta (1):

Principio coelum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum, pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.

Et apud eundem quidem Iopas (2):

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes
Dictamnum genitrix Cretaea carpsit ab Ida

Pu-

(1) Idem Aen. VI. (2) Itidem Aen. XII.

Digitized by Google

Puberibus caulem, foliis, & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita Capris
Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.

Et cum Iopam ipsum inducit canentem:

..... errantem Lunam, Solisque labores
Unde hominum genus, & pecudum, unde ignis, & imber,
Arcturum, pluviasque hyadas, geminosque triones.

De Aethna vero, tantorumque caussis incendiorum, cum permulta sint a philosophis disputata, remque ipsam graphice designasset, addidit Poëta:

Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac.....

Poëtae physici, & mathematici.

Queis ostenditur Poëtas olim Physicos, & Astrologos fuisse. Et ut alia omittamus, quae de Universitate, de homine, de ceteris animantibus docte, quamquam non semper vere, cecinere Poëtae; haut praestat silere, quae secuntur, ad Geometriam pertinentia:

Dic

Digitized by Google

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli ſpatium, non amplius ulnas.
Tum Tartarus ipſe . . . . . .
Bis patet in praeceps, tantum tenditque ſub umbras,
Quantum ad aetherium Coeli ſuſpectus Olympum.

Cum itaque:

Omne genus rerum docti cecinêre Poëtae,

Qui divinam illam Poëticae rationem conſequi ſtudet, opus habet, ut in ceterarum artium, rerumque naturalium ſtudiis elaboret. Quare cum, ut ex relatis colligere eſt, Philologiam divelli a Re poëtica minime poſſit; non temere Scaligerus in Hypercritico Lucanum reprehendit tanquam Aſtrologiae, ac Geometriae imperitum, cum ait: *At iſte vulgaris, aut falſae oſtentator eruditionis, inſcitiam ſuam prodidit non ſemel; nam quid illa ſunt?*

. . . . Sol tempora dividit aevi.
Mutat nocte diem, radiiſque potentibus Aſtra

Scaligeri cenſura in Lucanum.

Ire

Ire vetat, curſuſque vagos ſtatione moratur.

ſunt haec ſcuticâ digna, quis enim dicat [illegible] *Planetarum fieri a Solis curſu? quantominus a radiis? In illis vero quid dicat, neſcit. De Ebeno enim ſic ſcribit:*

. . . quae quamvis arbore multa
Frondeat, aeſtatem nulla ſibi mitigat umbra.
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.

Sane vero bellum hominem, quaſi vero tota aeſtate nihil aliud ſit quam meridies. At poſt & ante meridiem profecto ubique terrarum umbra eſt. In tertio quoque de umbris Arabum,

Ignotum vobis Arabes veniſtis in Orbem,
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Non enim veriſimile eſt ex Arabia felici, quae ſola ultra circulum ſolſtitialem protenditur, adveniſſe in Theſſaliam; neque enim militant illi: ſed ex Petraea, & deſerta latrunculi nomades. Verum ut hoc

hic

Digitized by Google

hic diceret, huc eos adduxit ille. Nequeo vero satis mirari quid ei venerit in mentem, cum dixit:

Aethiopumque solum, quod premeretur ab ulla
Signiferi regione poli: nisi poplite lapso
Ultima curvati praecederet ungula Tauri.

Duo hîc errores: alter ab eruditis solis castigandus: alter vel a pueris Astrologorum irridendus, &c.

Qui Poëtae jure appellentur?

Qui ergo ei facultati, quâ divinitus afflati sunt, rerum omnium scientiam, & prudentiam, animique probitatem adjungunt, Poëtae jure appellantur.

Poëtae igitur divino quodam veluti furore afflati, res omni admiratione dignas canunt, sine quo, ut Cicero (1) testatur, Democritus negabat magnos esse Poëtas, quippe qui, ut idem quoque Democritus, & Plato ajebant, non arte, sed naturâ constant; unde Horatius:

In-

(1) Cicero *lib. I. de divinat.*

Digitized by Google

Ingenium miserâ, quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Elicone Poëtas
Democritus . . . . . .

Hunc vero furorem consequitur ut plurimum amor qui, ut inquit idem Plato (1): *Poëta est adeo sapiens, ut alios quoque Poëtas possit efficere; quilibet enim, licet antea rudis, poëta evadit, cum primum amor efflaverit. Ex quo perspicue conjecturare licet amorem peritum esse poëtam, omnesque summatim musicos poësis numeros continere*; Amantibus enim, & naturâ, & arte propria est eloquentia.

Honestas Poëtam maxime decet.

Sed omni, qua decet honestate, de amoribus agendum Poëtis est; quin vero qui de rebus inhonestis, vel turpibus nudis vocabulis eloquerentur, in Poëtarum catalogo minime essent recensendi; boni enim viri officio funguntur Poëtae, cum res parum honestas, honestis vocabulis exprimunt; ac sententiae

(1) Plato in *Antiod.*

Digitized by Google

tentiae turpitudinem orationis artificio ita celant, ut non modo infamiam fugiant, verum etiam insignem laudem interdum consequantur. Hinc apud A. Gellium (1) Annianus poëta, & plerique cum eo ejusdem musae viri, summis, assiduisque laudibus eos Virgilii versus ferebant, quibus Vulcanum, & Venerem mistos jure conjugii, rem lege naturae operiendam, verecunda quadam translatione verborum, cum ostenderet, protexit.

Virgilius adeo pudicus, ut a Vestalibus se legendù praebeat.

Qui sane Poëta adeo pudicus, adeo castus, & verecundus fuit in suis poëmatis, ut ea vel a Vestalibus legi digna censeret Alexander Severus; rem enim obscoenam, quam Theocritus aperte ponit, & exprimit, veluti densâ quâdam obscuritate suffocat, cum ait (2):

Novimus, & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo (sed faciles Nymphae risêre) sacello.

Un-

(1) A. Gellius *lib. XX. cap. X.*
(2) Virgilius *Eclog. III.*

Digitized by Google

Unde non obesae naris Criticus: *Affert*, inquit, *Virgilius plus utilitatis, solidaeque delectationis, quam Theocritus; qui res alicubi turpissimas loquitur aperte, quas Virgilius praeterit, aut recte parce, & dissimulanter attingit.*

Quare mirum in modum, veluti per aenigma Aneae cum Didone, adulterium describit, cum ait:

. . . . prima & Tellus, & pronuba Juno
Dant signum . . . . . .

In quo sane vix, aut ne vix quidem Ovidio, aut Ariosto satis foret integer Aeneidos liber, pro efferendis omnibus inhonestatis latebris. Quod tamen Virgilius ore Didonis ita effert:

Dulce meum . . . . . .

Ubi Servius (1) inquit; *Tetigit rem inhonestam.*

Juturnae prudentia, & decorum apud Virgilium.

Sed ut cetera omittam, eadem Virgiliana Juno, Juturnam non adulteram, aut Jovis concubinam ausa est appellare, sed ut ei par erat, grata

(1) Servius in *IV. Aen.*

Digitized by Google

grata simul, & jucunda periphrasi, factum ipsum protexit, cum ait (1):

Scis, ut te cunctis unum, quaecunque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile,
Praetulerim . . . . . .

Quod vel ex hoc, id Juno praestitisse videtur, ut nempe, & suae majestatis servaret decorum, & ut se gratam Juturnae ostenderet. Quippe in laudativo praecipue genere, quae laudando sunt odiosa, praeterire satius erit. Hinc, Macrobio teste (2): *Antigonus monoculus Theocritum Chium interfecit; quod, cum ei pollicerentur amici, fore omnia ipsius salva, ubi ante oculos Regis pervenisset, responderit; omnem ergo salutis spem sibi esse ademtam.* Scite admodum hac prudentia, ut Plinius (3) commemorat, usus est Apelles, *qui pinxit Antigoni Regis imaginem altero lumine orbam, prius excogitata ratione vitia condendi;*

Quae in demonstrativo genere omittenda?

Insignis Apellis prudentia.

(T) obli-

(1) Virgilius *Aen. XII. v. CXLIV.*
(2) Macrobius *Saturnal. VII. cap. III.*
(3) Plinius *lib. XXXV. cap. X.*

Digitized by Google

obliquam namque fecit, ut quod corpori deerat, picturae potius deesse videretur. Hinc idem Plinius (1) narrat, quod *L. Scipio tabulam victoriae suae Asiaticae in capitolio posuit; idque aegre tulisse fratrem Africanum tradunt, iratum haut immerito, quoniam filius ejus illo praelio captus fuerat. Non dissimilem offensionem, & Aemiliani subiit L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus, expugnationemque depictas, proponendo in foro, & ipse assistens, populo spectanti, singula enarrando.* Quin vero nostrum olim Allifarum Antistitem, clarissimum virum Johannem Casam, a Criticis plus nimio religiosis, notatum fuisse circumfertur, quod initio orationis suae ad Carolum V., quae sane absque disceptatione cum Miloniana conferri potest, usum fuisse similitudine Cometae, nempe quia:

Johannes Casa temere notatus.

Aegroti veteris meditantes somnia, credunt

in-

(1) Plin. *lib. XXXV. cap. IV.*

Digitized by Google

infauſtum, & odioſum Principi.

Ceterum ſi Poëtae, Philoſophi, aliique diſciplinarum profeſſores facultate abutantur, *non eſt facultas ipſa culpabilis*, ut de Rhetorica inquit Auguſtinus (1), ſed eâ male utentium perverſitas. Hinc Raymundus Lullius librum edidit de lamentatione Philoſophiae, quae aſſerebat haut ſe pugnare cum Theologia, ſed Ariſtotelem, & Averroem; & ſane, nam ut inquit Naſo (2):

Nihil prodeſt, quod non laedere poſſit idem.

Quare, non propter abuſum, ut recte inquit Voſſius, tollendae ſunt artes, verum legibus coërceri debet, alioqui cum eadem dicantur, & ſcribantur; ſaepiuſque lingua, quam ſcriptione peccetur, neceſſe foret illis literarum contemtoribus linguam praecidi, ne quid poſtea dicant, quod indictum oporteret.

Sed antequam hinc abeamus, notatum velim, deligendum Poë- Quae neceſſaria Poëtae?

(1) Auguſtinus *lib. II. cap. XXXIV. de doctrina Chriſtiana.*

(2) Naſo *lib. II. Triſt.*

Digitized by Google

tae argumentum viribus conveniens; conquirenda rerum ſupellex, tranquillitas animi, & tandem rigidâ limâ opus habere.

Cum non omnis ferat omnia tellus, neque ex omni ligno mercurius, nam rerum Parens cuique ſuum habitum, & ingenium indidit, ſapienter Horatius monuit, parum onus ingenio, doctrinaeque noſtrae imponendum, dum ait:

Summ cuique ingenium a natura inditum.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis aequam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſerat hunc, nec lucidus ordo.

Alioqui periculum erit, ut propter ingenii noſtri imbecillitatem, in medio conatu perferre coeptum laborem non poſſimus, eumque deſerere compellamur. *Auguſtus Caeſar*, ut inquit Svetonius (1), *Tragaediam magno impetu exorſus, non ſuccedente*

Plato, Auguſtus Caeſar, & Virgilius opus incoeptū, non ſuccedēte ſtylo deſeruerūt.

(1) Svetonius *cap. LXXXV. in Auguſt. Caeſar.*

Digitized by Google

cedente ſtylo, abolevit. Quod & Plato feciſſe perhibetur, ut ex Aeliano diſcimus, ne ſcilicet, qui philoſophos fama, & plauſu praecellebat, alia in re videretur inferior aemulo ſuo Euripide. Virgilius, ut Donatus inquit in ejus vita, quis crederet? *Cum res Romanas inchoaſſet, offenſus materiâ, & nominum aſperitate, ad Bucolica tranſiit.* Hinc & Ovidius (1) poſtquam ſemet accuſavit, nempe quod, haut amatoriis nugis relictis, res bello geſtas, res Populi Romani, atque adeo Auguſti Caeſaris ad poſteritatis memoriam verſibus commendaſſet; tandem ita ſe purgat:

Ovidius ſe ab ſua accuſatione purgat.

Arguor immerito: tenuis mihi campus aratur,
Illud erat magnae fertilitatis opus.
Non ideo debet pelago ſe credere, ſi qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.
Forſan in hoc, dubitem, numeris levioribus aptus

(1) Ovidius II. *Triſtium.*

Sim ſatis, in parvos ſufficiam-
que modos?
At ſi me jubeas domitos Jovis igne
gigantes
Dicere, conantem debilitabit
onus.
Divitis ingenii eſt immania Cae-
ſaris acta
Condere: materiâ ne ſuperetur
opus.

Initio haut captâda Poëtae argumenta operoſa, ac difficilia, ſed puſilla, & cõtractiora.

Monitum hic igitur velim, ne principio, ac ſubito magna conemur, veluti Iliadas, & Gigantomachias captare argumenta, operoſa inquam, & difficilia; ſed jocemur oportet puſillis, contractioribus, venuſtis, & ingenioſis poëamatiis, donec humeri vitulo ferendo aſſueti, bovem geſtare poſſint. Sic factitaſſe veluti per manus a majoribus accepimus, noſtrum Ludovicum Paternum, qui elegias quaſdam, & epigrammata quamplurima, veluti primas velitationes, & primae juventutis tirocinia, compoſuit, ut cernere eſt in hiſce duobus epigrammatibus, quae inter alia exſcripta fuere a doctiſſimo viro Nicolao

Digitized by Google

laó Graeco, ſtudiorum cauſsâ olim Neapoli commorante, ex Poëmatiis manu exaratis ejuſdem Poëtae noſtri celeberrimi, quae extabant penes Cl. V. Achillem Paternum, quae duo epigrammata, cum in rure noſtro apud S. Petrum de Folliſcio, ſub fraxino patulis ramis, unde proſpectus erat ad Monticellum, nempe ubi jampridem idem Poëta ruſticando Muſis indulgebat, in laetiſſimo gramine conſedebamus cum viris eruditiſſimis, ac amiciſſimis noſtris, & prae ceteris ſacerdote Dominico Paterno, Franciſco Pertuſio, Martio Trutta; inibique remittentes animum, feſtiviſſimis quaeſtiunculis agitatis, per virum ingenio, & ingenuitate clarum Franciſcum Apicium, caloris incommoda, & flagrantem aeſtum, & ſocordiam propulſabamus, velut fuit una die, cum nos una ad umbram, ut fit, in ſalubri aura univerſi adſideremus, juvenis quiſpiam praenobilis, qui illuc inopinato, ſalientis aquae laticibus extinguendae ſitis cauſsâ advenerat, admodum venuſte recitavit.

Auctoris conſeſſus laetiſſimo ſuper gramine, ſuo in rure cum eruditiſſimis viris.

Digitized by Google

Ludovici Paterni ex *lib.* I. *M.S.* cui titulus: *Inferiarum, & Tumulorum.*

EPIGRAMMA XCVIII.

Jacobo Paterno Genitori, & Caeciliae Conjugi.

Hic Jacobe jaces genitor, dilectaque conjux
Caecilia, hic tecum contumulata jacet.
Felices animae, sancti concordia lecti
Vos habuit quondam: nunc lapis unus habet.
Mox dabitur cineres nato gaudere relicto,
Ludere nî genii credula corda velint.
Qui simul ambobus posuit commune sepulcrum:
Parva, sed est magnis gratia pro meritis.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA C.

Philippo Podimontio.

ERgo ego non grata ſtatuam tibi ſorte ſepulcram,
Atque Philippe, tui lacrymabor funeris iram
Hîc ubi deſcripto lacrymata eſt carmine Muſa,
Carmine ſed gemino juvenis pia Muſa Paterni.
Hîc ubi formoſas reſonat formoſa per undas
Illa nimis dilecta ſibi, defletaque virgo,
Inter habenda novas caſtiſſima Heroinas,
Hîc ubi per Paphias ſtrepitant ſuſpiria myrtus,
Et lauros virideis baccas, hederasque ſequaces,
Tangunt objectas iterataque nomina frondes.
Hocque tibi ſtatuam parvum pro tempore munus,
Supremumque tumulo munus, quod ſumma laborum eſt.

Gau-

Digitized by Google

Gaudeat, ut longum parva cinis abditus urna,
Gaudeat, ut cinerem, qui plorans abdidit urna:
Quando ita decretum eſt ſuperis: urnaeque perenni
Halent & violae, creſcant & lilia, picto
Floreque in aeternum rutilantia gramina vernent.
Vulturnuſque pater ferat hinc ad ſidera natum.
Vulturnus docti ſacrum geniale Philippi.
Quin nervis; cantuque Jovis natae alite dextro
Caſtalides, princepſque chori germanus Apollo
Cum plectro, & cithara modulans in veſtibus aureis
Oblectent umbram; & ſyrio venerentur odore;
Magnaque per cunctas vulgent tua nomina gentes,
Extendantque procul meritas per ſaecula laudes,
Queis magis, & celebrata ſuperbiat umbra, magiſque,

Aſ-

Digitized by Google

Assideatque inter venerabilis umbra Latinos,
At si mortalis remanet post funera sensus,
Qui somno similis vacuâ dispergitur aura:
Nigranti semper nec cedant omnia nocti.
Extremis semper nec cedunt omnia flammis,
Aurea dum tacita scintillant sidera luce,
Hancque rogo; & cineri semper meliora supersunt,
Ingenii & semper magni monumenta leguntur.
Laetus ades, sanctaque ades haec ad nostra Magister
Munera, & inferias, facti titulumque sepulcri.

Sed inde maturâ aetate jam doctior, sub radicibus, ut diximus, Monticelli suo in rure, haut procul a nostro, diu rusticatus, haec duo Etrusco idiomate conscripsit Poëmata, *Myrtiam*, & *Novas Flammas*, quae cum Francisco Petrarcha haut injuriâ conferri posse, nonnulli clamitant,

Ce-

Ceterum ab omni cura vacans Poëta, seceſſum quaerat neceſſe eſt, quod a Camillo Peregrino ſeniore, poëta eximio, Campanae Eccleſiae Primicerio, effectum eſſe teſtantur ipſius Etruſca carmina relata a doctiſſimo Mazochio; qui in Campani Theatri ruinis ruſticando, vel ſeptuagenarius Muſis indulgebat, nam ut Ovidius ait:

Camillus Peregrinus ſenior in Campani Theatri ruinis, Muſis indulgebat.

Sed me Muſarum diſerta per avia dulcis
Raptat amor . . . . . .

Et illud quoque:

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quaerunt.

Notum & hoc:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit Urbes.

Item & illud Horatii:

Carmina proveniunt animo deducta ſereno;

hinc Rabinorum doctiſſimus Maimonides (1) in Morenevochim ait, triſtitiae, & luctus tempore ceſſare poëſim; de Poëtis enim teſtificantur Israelitae

Triſtitiae, & luctus tempore, ceſſat poëſis.

Ba-

(1) Maimonides in *Morenevochim lib. II. cap. XL*

Babylone captivi, qui rogati a captivis, ut se cantionibus oblectarent, negant se extorres, & captivos in luctu canere posse. Quae res illustrior exemplo Davidis redditur a Josepho (1), cum ait: *Expeditus itaque David a praeliis, & periculis, cum pace jam altissima frueretur, cantica in Deum, hymnosque vario metro composuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Solum enim in tempestatum procellis, animique statu perturbato, facile erit Poëtae satyricos versus fundere; nam ut Juvenalis inquit:

Turbato animo, nihil facilius quã satyricos fundere versus. Sed usu philosophiae temperanda bilis est.

Difficile est satyram non scribere: nam quis iniquae
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se?

Sed neque animi tranquillitas, neque secessus Poëtae aliquid prosunt, nisi prius magna rerum, atque verborum supellectile ditatus, ad conficiendum poëma, animum appulerit; magnae enim temeritatis

Verborum rerumque supellex Poëtae pernecessaria.

es-

(1) Josephus *lib. VII. Antiquit.*

Digitized by Google

esse videretur is, qui nondum caesâ, & convectâ materiâ, aedificium aggreditur. Cum autem haec rerum, verborumque supellex non alias, quam ab ipsis veteribus poëtis sit conquirenda; nam ut inquit Divinus Philosophus (1): *Ajunt nobis Poëtae, quod e fontibus, quibus mel scaturit, haurientes, & a Musarum viridariis, collibusque decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodum mel ex floribus Apes, & instar Apum volare se dicunt*; eodem prorsus modo, quo se factitasse innuit Lucretius (2), & nos factitare debemus:

Apes imitandae in excerpendis melioribus.

Floriferis, ut Apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Et Horatius (3):

. . . . . ego, Apis Matinae
More modoque

Gra-

(1) Divinus Philosophus *lib. XIV.*
(2) Lucretius *lib. III.*
(3) Horatius *lib. IV. Od. II.*

Digitized by Google

Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.

Hi autem Poëtae non sunt perfunctorie, ac fractim legendi, sed summâ adhibitâ curâ, ut quantum in nobis est plane intelligantur; & ne supersit nodus ullus, aliqua Mythicae historiae cognitio praecedat opus est; ideo ante omnes poëtas, adeundi sunt Ovidii libri Metamorphoseon. Sed quid de varietate negociorum, atque affectuum dicam, qui sui similes in unaquaque aetate viguerunt, quique propterea varietatem locutionum cum peperissent, si eorundem sensum, absque plena philologiae cognitione vestigabimus, perinde fuerit; ac si cum navi sine remis, mare trajicere conaremur. Igitur Poëtae legendi non semel modo, sed iterum, atque iterum, ut eorum stylus nobis veluti familiaris evadat, ut nos in ipsos veluti transformemur. Itaque postquam haec

Poëtae non perfunctorie legendi.

jacta

jacta sunt fundamenta, & jam caeperunt studiosi eos cum quadam animi voluptate legere, oportet in se descendere, & dispicere quod in genus carminis potissimum naturâ ferantur; tum si in Epicum, Epicum, si in Lyricum, Lyricum, si in Tragicum, Tragicum, eligant, necesse est. Quare non secus de ingeniis hominum, quam de diversis locorum habitibus, nobis cura sit dignoscere:

Illud quisque sibi eligat carminis genus, ad quod naturâ feratur.

. . quid quaeque ferat regio, & quid quaeque recuset.
Hîc segetes, illic veniunt felicius uvae:
Arborei foetus alibi, atque injussa virescunt
Gramina: nonne vides, Croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?

Hinc Horatius aperte indicat se heroico carmini condendo imparem, negatque sibi poëtae nomen convenire

Digitized by Google

nire ; quamquam hexametrum faciat. Quia satis non sit, versum suis pedibus claudere, sed majora, & plura expeti:

Primum ego me illorum dederim; quibus esse poëtas
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam;
Ingenium cui sit; cui mens divinior, atque os
Magna sonaturo, do nominis hujus honorem.

Sed in Lyricis adeo ferire illum videas sublimi sydera vertice, ut de se praedicare non sit veritus, ita adloquens suum Maecenatem (1):

. . . . . si neque tibias Propria Horatii laus.
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseres,

(1) *Lib. I. carmin. ode 1.*

Digitized by Google

Sublimi feriam sidera vertice.

Et alibi (1):

. . . . . sume superbiam
Quaesitam meritis, & mihi Delphicâ
Lauro cinge volens Melpomene, comam.

Idem Horatius fideliter monuit, ut ne sententiae nostrae nimium indulgeamus, sed opera nostra severos Judices habere oportere, cum ait ad Pisones:

Censores severi adeundi.

Tu nihil invitâ dices, faciesve Minerva:
Id tibi judicium esto, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendet judicis aures,
Et patris, & nostras . . . . . .

Quod sane id se fecisse testatur, cum ad Tibullum scribens, sic incipit:

Censores adiit ipse Horatius.

Albi, nostrorum sermonum candide judex.

Hinc opus esse Poëtae hisce tribus, tempore, judicio, Limâ, colligamus opor-

(1) *Lib. III. carmin. ode XXX.*

Digitized by Google

oportet ; haec enim , ad aeternam memoriam , insignem immortalitatis famam nos consequi sinunt. De lima , & tempore , sic scite inquit Horatius :

..... carmen reprehendite , quod non
Multa dies , & multa litura coërcuit , atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem ,

Et infra :

..... nonumque prematur in annum
Membranis intus positis , delere licebit ,
Quod non ediderís : nescit vox missa reverti .

Idque Horatii praeceptum exacte observatum legimus ab eximio poëta Statio apud Petrum Crinitum (1), dum ait : Dubitandum , non est , Poëtam Statium in eo opere , idest Thebaide absolvendo , mirâ solertiâ usum , & incredibili studio per duodecim annos . Et Accius Syncerus

Statius, ac Sanazarius miram adhibuerũt solertiam in absolvẽdis Poëmatibus ,

(1) Petrus Crinitus *de Poëtis Lat. lib. IV. cap. LXVI.*

rus Sanazarius, notum est, quod epigramma, sive quam Odem confeciſſet, in loculis includebat novem, & novies examinabat; tumque dabat legendos. Et Epos illud illuſtre, quod de Partu Virginis libris tribus complexus est; nihil fere illius verſibus invenitur caſtigatius; & ſane, nam illud ſacrum Poëma viginti annorum limâ fuit perpolitum. Clauditur eximius hic Poëta tumulo juxta Villam Mergellinam in Templo Deiparae Virgini ab ſe dedicato, vicinus cineri Virgiliano, ut qui arte pares, & ſtudiis, etiam monumentis conjungerentur. Marmoreo autem tumulo, Petrus Bembus genere, doctrina, dignitate, ac fama clariſſimus, hoc carmen inſcripſit:

Bembi carmen in Sanazarii tumulo, juxta Villam Mergellinam in Deiparae Templo, Neapoli.

DA SACRO CINERI FLORES: HIC ILLE MARONI
SYNCERUS, MUSA PROXIMUS, UT TUMULO.

Tantus enim fuit Virgilii imitator, & hujus phraſeon exſcriptor, ut illius opus ab eodem Virgilio dictatum fuiſſe dixeris. Scripſit Etruſca car-

Digitized by Google

carmina pari lepôre, saleque arridentibus utrimque Musis, aut cum vitiis infensus corruptis moribus praepilata jacula Jambis intorqueret; aut cum honestum amorem cultissimis versibus commendaret. Idque est quod Latomus indicare voluit hoc carmine:

Major in assumto ratio, quo nomine constet;
Est ubi te cupiam fellis habere minus.

Claruit Accius syncerus Sanazarius initio decimi sexti seculi, qui poësim Latinam ad illud fastigium evexit splendore ingenii, imitatione optimi cujusque veterum, ut Poëtarum hujus seculi princeps merito haberetur. In ejus scriptis elucent non modo venustates, & lepôres omnes Latinae linguae, sed & animi vigor, & sententiarum acumen, longe supra Bembum, aliosve Italos, qui eo tempôre styli Romani puritatem restaurare studuerunt. Quamquam non desint qui putent, sex Italos, nempe Jacobum Sanazarium, Fracastorium, Flaminium, Vidam,

Sanazarius longe sui aevi Poëtas superavit.

Digitized by Google

Poëtas sex Italos a tribus Gallis, hosque ab uno Scoto superatos.

Naugerium, & Bembum a tribus Gallis superatos fuisse, nempe a Cancellario Hospitalio, Adriano Turnebo, & Johanne Doreto. Sed teste Josepho Scaligero, Huthenoyius, Gregorium Buchananum Scotum, eos omnes Poëtas, & Italos, & Gallos superasse asseverat, ut ex hoc Disticho liquet:

Tres Italos Galli senos vicêre; sed unum
Vincere Scotigenam, non potuere virum.

Quem Poëtam dum respectat, idem Scaligerus, magnifice inquit:

Imperii fuerat Romani Scotia finis,
Romani eloquii Scotia finis erit.

Verum, si placet, quoniam haec satis, superque de Re poëtica diximus, cujus instinctus Dei Optimi Maximi donum est ad Sacra, & Moralia referendum; atque adeo non multis datur adyta divinae hujus facultatis penetrare, & cum illa necessitudinem habere, sed paucis admodum:

. . . . . quos aequus amavit
Ju-

Digitized by Google

Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus.

VIII. DE NATURALI PHILOSOPHIA, AC PHILOSOPHORUM SECTIS.

Ad reliqua nunc progrediamur, oportet, nempe ad naturalem Philosophiam, sine qua nemo intelligere potest characteres, quibus immensum hujus Universi volumen ab omnipotente Deo inscriptum spectatur, & ad ipsius summi Numinis cognitionem pervenitur, ut testatur Apostolus ad Romanos, cum ait: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Haec etenim Coelique vias, & sydera monstrat;
Defectus Solis varios, Lunaeque labores:
Unde tremor terris: quâ vi maria alta tumescent,
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant:
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hyberni; vel quae tardis mora noctibus obstet.

Neque alia ratione ceteris mortalium praestitisse videtur Salomon Judaeorum Rex, quam quod omnium

nium optime sit philosophatus; qui oblata sibi a Deo bonorum omnium optione, sapientiam, quasi optimum, & excellentissimum bonorum, postulavit; quare acceptâ a Deo sapientia: *Disputavit supra lignis a Cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete; & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus*, ut Sacra Scriptura testatur (1).

Adamus naturali philosophia, ceterisque scientiis a Deo ornatus.

Naturalem hanc Philosophiam cum scientiis ceteris ab omnipotente Deo numeris omnibus absolutam sine ullo labore accepisse dicitur hominum Parens Adamus; sed cum ob violatam Dei legem ab eo, in quo positus erat, deliciarum horto fuisset expulsus, inter ceteras peccati poenas, ignorantiae tenebris traditus, in eas traxit omnem posteritatem.

Humanum genus propter Adae peccatū, ignorātiae tenebris obvolutum.

Sed non minus frequenti effectuum singularium observatione, quae experientia dicitur, quam & ex Mercurii Trismegisti, & ex Sethi

(1) *Lib. III. Regum cap. III. & IV.*

Digitized by Google

thi nepotum columnis edocti homines prae, & poſtdiluviani, eam a fundamentis pene inſtaurare omni ope, acri ſtudio, & improbo labore ſunt adgreſſi. Quoniam autem inter omnes Nationes, Graeci prae ceteris diligentius in ſingulas illius partes incubuere, eamque in quodam veluti corpus digeſtam ſcriptis ſuis ad Poſteros tranſmiſerunt, illuſtriores Philoſophorum ſectas a Graecis repetendas eſſe jure duximus. Primi autem Graecorum philoſophi in duas ſectas dividuntur, ſcilicet Dogmaticam, & Academicam.

Graeci prae ceteris in ſingulas philoſophiae partes diligentius incubuere.

Graecorum Philoſophorum ſectae.

Secta Dogmatica, quae eos comprehendit Philoſophos, qui veritatem aſſecutos eſſe ſe, ſaltem in pluribus contendunt, duplex eſt, Jonica, & Italica. Jonicae ſectae dux fuit Thales Mileſius, Phoenix origine, & inter Cives Mileſios adſcriptus, qui in epiſtola ad Pherecydem, quae refertur a Laërtio in Thalete; in Aegyptum penetraſſe ait, ut ex ipſis fontibus puriores patriae doctrinae latices feliciter hauriret. Ex Aegyptiorum ergo, quos adierat,

THALES MILESIUS.

& Phoe-

Digitized by Google

& Phaenicum, ad quos genus ferebat, rivis, in quos magnam Mosaicae doctrinae copiam confluxisse, ostendit Huetius (1) abunde Thales hortulos suos irrigavit. Hinc Deum definiebat, quod principio, & fine caret; quod rerum omnium antiquissimum est: atque hanc ajebat esse mentem, quae cuncta ex aquis formavit. Hinc hominum cogitata perspecta Deo esse scisebat. Hinc hominum animos primus immortales esse dixisse fertur. Hinc lucem tenebris posteriorem esse statuit. Quae sane non ex apothecis Philosophiae, sed ex intimis verae Theologiae mirothecis, depromta sunt. Non semel igitur candide cognoscit Plato amicissimus veritatis homo, ejusque rationis exhibendae promtissimus, aliique complures, quaecumque de rebus divinis a Graecis disputata sunt, ex Aegyptiis scholis esse profecta.

Quomodo Thales Deum definiret?

Thaletis sectatores. Thaletem sectati sunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Xe-

(1) Huetius *demonstrat. Evang. propos. IV. §. V.*

Digitized by Google

Xenophanes, Heraclitus, Democritus, aliique, qui Thaletis Philosophiam illustratam, ad Socratem usque, ac Platonem detulerunt.

Italicae sectae princeps fuit Pythagoras Samius, in Syria natus, juxta Jamblichi aliorumque sententiam. Is Patriae revisandae desiderio, Sidonem, Tyrum, & Byblum navigavit, ac totam fere lustravit Syriam; & Chaldaeos, Hebraeos, Arabos, ac Aegyptios praeceptores habuit. Assyrios quoque, & Persarum Magos audivit, ac praecipue, ut Appulejus tradit, Zoroastrem, & magna demum disciplinarum merce ditatus, philosophiam suam instruxit. Quam multa autem Mosayca, inter Judaeos, & vicinas Gentes conquisita, illuc transtulerit, optimus testis Hermippus, qui Judaeorum dogmata, ac leges Pythagoram in suam transtulisse philosophiam, scripsit; ut ex Josepho (1), & Origine (2) discimus. Testis & Aristobolus

PYTHAGORAS SAMIUS.

Plurima Mosaica ad philosophiā suā, transtulit Pythagoras.

(1) Josephus *lib. I. con. Apion.*
(2) Origen. *lib. I. con. Cels.*

Digitized by Google

lus Judaeus apud Clementem Alexandrinum (1), & Eusebium (2); horum ille colligit aliquot Pythagorae dogmata, & Mosaicis consentire ostendit; velut illud a Decalogo, quo sculptilibus interdicitur, expressisse Pythagoram ostendit; cum vetuit imaginem Dei annulo inscribi: ex Aegypto autem, Samum redit Pythagoras, offendensque Patriam a Polycrate tyranno premi, ut ait Diogenes Laertius, recepit se in Italiam, tempore Servii Tullii, Romanorum Regis, & Crotonae in Calabria ulteriori, quae tunc magna Graecia dicebatur, philosophiae per annos circiter viginti operam navavit, ibique leges Italis dedit, atque cum discipulis clarus habitus est, qui ferme teste Laertio, trecenti Rempublicam praeclare administrabant, ut merito Aristocratia, hoc est Respublica optimatum videretur. Hinc, ut scite inquit eruditissimus Gravina, e Magna Grae-

Pythagoras ex Aegypto Samum redit, indeque in Italiam se recepit, & Crotonae, magno Auditorū cōcursu, philosophiam professus est, legesque Italis dedit.

(1) Clem. Alex. *Stromat. l. II. & V.*
(2) Euseb. *praepost. Evang. lib. IX.*

Digitized by Google

Graecia, ubi divinae ille locavit, ac humanae fundamenta sapientiae, facta sunt civilis doctrinae Jurisque divortia, legesque ab ejus discipulis ad finitimos populos traductae fuerunt e Pythagorica schola: quorum celeberrimi sunt duo, Carondas, quorum plerique Thuriis leges tulisse volunt, & Zaleucus, qui Locrorum regimen constituit.

Pythagorae dogmata inter ceteros amplexi sunt Timaeus Locrensis, Philolaus Crotoniata, Parmenides, & Zeno ambo Eleatae, Melissus Samius, & Archytas Tarentinus, qui omnes Physicae praecipuam dederunt operam, ad institutionem usque veteris Academiae, cujus princeps fuit Socrates: quo tempore animadvertentes Philosophi in sterilibus speculationibus, tempus sine piaculo consumi non posse; exemplo Socratis, animum ad morum scientiam converterunt; illic enim Homeri testimonio:

Pythagorae dogmata, qui fuerint amplexati.

....*agitur pravumque probumque.*

Academia princeps fuit Socrates, patria Athenienſis, Pythiae testimonio

SOCRATES ATHENIENSIS.

Digitized by Google

ſtimonio laudatus, quae Chaerophanti id oraculum ex tripode edidit: *Mortalium unus Socrates vere ſapit*. Et ſane, nam Moſaicarum quoque ſententiarum aurâ afflatum fuiſſe Socratem ſenſiſſe affirmant Ariſtobolus apud Euſebium (1), & Clemens Alexandrinus (2). Res abiret in immenſum, ſi ſingula perſequerer; praecipua dumtaxat delibabo, unde documentum de reliquis ſumi poſſit. Unitatem rerum creatam a Deo, & conſervatam cum animo conſideraret ipſe, & Plato, & Pythagoras, Dei vocem audire ſibi videbantur: ut dixiſſe illos tradunt idem Ariſtobolus apud Euſebium (3), & Clemens Alexandrinus (4): quippe legerant apud Moſen, verbo Deum res condidiſſe: Dixitque Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. Et tamen, quis crederet? ſe nihil ſcire profitebatur. Unde inductio, & collatio ſimilium erat argu-

Quae de rerum univerſitate, Socrates, Plato, & Pythagoras crediderunt?

Inductio, & collatio ſimilium, argumentationis telum, quo Socrates ſe ab adverſariis velle ſcire oſtentabat.

(1) Euſebius *praepoſit. Evangel. lib. XIII.*
(2) Clemens Alex. *ſtromat. V.*
(3) Ariſtobolus apud Euſebium *praepoſit Evang. lib. XIII.*
(4) Clemens Alex. *ibid.*

Digitized by Google

gumentationis telum, quo Socrates utebatur; propterea quod nihil ipse ad probandum adferre volebat, & ab adversariis velle scire admirabili illa sua ironiâ ostentabat.

Praecipui, qui operam Socrati dederunt.

Operam Socrati plurimi dedere, sed inter ceteros omnes eminebant Xenophon, Plato, & Euclides, cujus, teste Aulo Gellio (1): *Tantus erat, ad audiendum Socratem ardor, ut quia decreto, inquit, suo Athenienses caverant, ut qui Megarensis Civis esset, si intulisset Athenas pedem, prehensus esset, ut ea res ei homini capitalis esset: Tanto Athenienses, inquit philosophus Taurus, odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Tum Euclides, qui in diem Megaris erat, quique etiam ante id decretum & esse Athenis, & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, priusquam adveseraseret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, & caput, & ora velatus,*

Euclidis ardor, ac labor, ut Socratis colliorum, sermonumque ejus fieret particeps.

c do-

(1) Aulus Gellius *lib. 4. noct. Attic. cap. X.*

Digitized by Google

e domo ſua Megaris Athenas ad Socratem commeabat : ut vel noctis aliquo tempore conſiliorum, ſermonumque ejus fieret particeps. Rurſuſque ſub lucem millia paſſuum paulo amplius viginti, eadem veſte illa tectus redibat.

PLATO ATHENIENSIS.

Summo huic Philoſopho in Academia veluti jure ſucceſſit ejus diſcipulus Plato, ſublimis Philoſophorum apex, & columen. Aegyptios Hierophantes adiit Plato, & illic ex columnis Mercurii, ejus ſcilicet, a quo Huetius vir ſane dignitate, & literis praeclarus, manaſſe oſtendit univerſam propemodum Ethnicorum Theologiam, Philoſophiam, Aſtronomiam, Geometriam, Muſicam, Rhythmicam, Metricam, tum & ſymbolicam Philoſophiam, ac artes denique ceteras liberales; quin vero & rudes populos, rerum divinarum, ſacrarumque ignaros ad ſummi Numinis cultum traductos; philoſophiam exculpſit, itidem, ut Pythagoras, quemadmodum teſtatur Jamblicus; hinc tanta eſt Platonicae doctrinae cum Moſaica conſentio,

Platonicae doctrinae cum Moſaica conſentio.

Digitized by Google

ſentio, ut alterius ab altera propagationem oſtendat. Nec aliam ob cauſſam priſcis chriſtianis Platonis dogmata placuerunt, adeout Platonici haberentur, frequentioremque Platonicorum operum lectionem Julianus ipſis objiciat, quam quod recoctus ipſis, & perſonatus Moſes videretur eſſe Plato, vel, ut inquit Numenius, Moſes atticiſſans. Hinc non temere Moſis libros Platonem diligenter excuſſiſſe, ſatis deducit idem vir ſeculo noſtro eximius Daniel Huetius (1). Hinc & per plurima ſecula, & ante & poſt Chriſti adventum doctrina Platonis primas ſemper obtinuit. Quippe ei antiquiores Eccleſiae Patres, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Baſilius, S. Gregorius Nazianzenus, aliique uſque ad octavum Eccleſiae ſeculum ſtudium, & vigilias ſuas conſecrarunt. Eandem inter Latinos Patres diligentiſſime excoluit S. Auguſtinus, qui cum eam multis, uti par erat, partibus illuſtraſſet, ad refel-

Platonis doctrina ad octavum uſque ſeculum, ab antiquioribus Eccleſiae Patribus exculta.

(1) Huetius *demonſtrat. Evangel. propoſit. IV. §. IV.*

lendos Ethnicorum errores, asserendamque Religionis Christianae veritatem feliciter adhibuit. Quippe, cum idem Augustinus [1] Platonis doctrinam, ejusque sectam sapientiae opibus inter ceteras ditatam maxime noscitaret, nihil mirum videri debet, si eas opes a Platonicis tanquam ab injustis possessoribus in usum Christianorum vindicandas doceat: *Philosophi*, inquit, *si quae forte vera, & fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim Aegyptii non solum idola habebant, & onera gravia, quae Populus Israël detestaretur, & fugeret, sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quae ille Populus exiens de Aegypto, sibi potius, tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non authoritate propria, sed praecepto Dei ipsis Aegyptiis*

Sapientiae opes ab injustis possessoribus vindicandae.

(1) S. Augustinus *lib. II. de doctr. Christian. n. LX.* alias *cap. XXXIX.*

Digitized by Google

ptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur: ſic doctrinae omnes Gentilium, non ſolum ſimulata, & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris habent, quae unuſquiſque noſtrum Duce Chriſto, de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari, atque devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quaedam morum praecepta utiliſſima continent, deque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum, & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinae providentiae, quae ubique infuſa eſt, eruerunt, & quo perverſe, atque injurioſe ad obſequia doemonum abutuntur, cum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtus ad uſum juſtum praedicandi Evangelium, veſtem quoque illorum, ideſt hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanae ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere, atque habere licue-

Digitized by Google

rit in uſum convertenda Chriſtianum.

Initio noni ſeculi cum Platonis philoſophia exaruerunt ſcientiae pene omnes.

Sed initio noni ſeculi cum Platonis philoſophia exaruerunt nedum diſciplinae liberales, quibus ingenuae continentur, ſed illius praeclariſſima, atque aliorum ejuſdem cenſus graviorum Auctorum opera, Barbarorum alluvione peſſum ire viſa ſunt, leviaque innataſſe; atque tanta hinc irrepſit rerum omnium, morumque confuſio, atque craſſa literarum omnium ignorantia, ſive bonarum artium jejunitas, ut qui philoſophiae operam navaret, vulgo Magus putaretur; hinc Genebrardo (1) infelix hoc dicitur ſeculum, utpote adeo exhauſtum hominibus doctrinâ, & ingenio claris, ut vix ullus fuerit, qui eas excoleret, & qui excolentibus honorem haberet, plane nullus. Interea vero tantus erat hujus, & ſequentium ſeculorum populis Religionis Chriſtianae ardor, ut Epiſcopos, Clericoſque venerarentur, & Romani Pontificis man-

Nono ac decimo ſeculo, qui philoſophiae operam navaſſet, vulgo Magus putabatur.

(1) Genebrardus *Chron. lib. IV.*

Digitized by Google

mandatis fere omnes ultro se submitterent, eorumque pietatis haut desunt testimonia.

Sed quid singula consector; & colligo, cum satis id historiae testentur? lineam nostram sequamur. Post mortem Platonis, ceteri Socratis successores in Academia, timidam illam philosophandi methodum abjecêre, & in Dogmaticorum partes translati, triplicem constituerunt sectam, Peripateticorum, Stoicorum, & Epicureorum.

Peripateticorum princeps fuit Aristoteles Stagyrita praeceptor Alexandri, sed ingratus discipulus optimi illius Platonis. In hunc Philosophum multi ex ejus sectatoribus effutierunt, collatam fuisse eandem fere Philosophiam, quam omnipotens Deus statim a Mundo creato numeris omnibus absolutam cum ceteris scientiis infudit nostro primo Parenti Adamo; unde nec liberales disciplinas, nec Sacram Theologiam sine illius philosophiae pulvere imbibi posse autumantes, maledictis proscindere non sunt veriti eos, qui ab Aristotelis

ARISTOTELES STAGYRITA.

Theologiam ſine Ariſtoteleae philoſophiae pulvere imbibi haut poſſe autumarunt plerique.

ſtotelis philoſophia diſcedunt, tamquam ſi egreſſi fuerint inſtituta Majorum:

Haut equidem credo, quod ſit divinitus illi
Ingenium, aut rerum fato prudentia major?

Cum tamen, ſi adhibenda ſit fides Lactantio (1), cujus huc ſunt transferenda verba: *Cum ſapere*, inquit, *ideſt veritatem quaerere omnibus ſit iunatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab illis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur.* Quamobrem totis viribus in id incumbendum, ut ab omni opinione, quam citra juſtam rationem hauſimus, mens, expurgetur. *Nec particularis ſecta eſt eligenda*, ut ait Clemens Alexandrinus (2), ſed

Mens expurgetur oportet ab omni opinione, quā citra juſtam rationem hauſit.

(1) Lactantius *lib. II. Divin. Inſtit. cap. VIII.*
(2) Clemens Alexandr. *I. ſtromat.*

Digitized by Google

ſed quicquid omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurei, Ariſtotelei, hoc totum ſelectum dico Philoſophiam. Et Melchior Canus (1) ſoliditate judicii, ac eruditione nulli in Eccleſia Romana ſecundus, docens quo auctore philoſopho utendum ſit: *Non more vulgi*, inquit, *doctrinam Stoicam, aut Platonicam, aut Ariſtotelicam Philoſophiam appellamus, ſed ſtudium ſapientiae*, &c. Et quoniam Chriſtus eſt ſapientia non quidem unius ſectariorum, ſed Dei: quicquid ſapienter alii dixêre, extorquendum eſt ab iis, ut noſtrum.

Stoicorum dux fuit Zeno Cit- ZENO CITticus, qui Athenis in Stoa, ſeu por- TICUS. tico Poecile ſeverioris philoſophiae dogmata, magna cum nominis celebritate tradebat. Hic, ut teſtatur Cicero (2), nihil bonum, niſi quod honeſtum eſt, nihilque item malum, niſi turpe, & vitium eſſe, ac propterea felicitatem in virtute ſola conſiſtere inquit. Tanto in honore apud

(1) Melchior Canus *lib. IX. de locis Theologicis.*
(2) Cicero *l. & ll. Academicar. l. & ll. de finib., l. de legibus.*

Digitized by Google

Athenienſes eſt habitus, ut apud eum & claves Urbis deponerent, & ornarent aureâ coronâ, & ſtatuâ aereâ. Cum ex ſchola, ut fertur, abiret lapidem offendens digitum perfregit, manu vero terram feriens, illud uſurpavit ex Niobe: *Venio, quid me vocas?*

EPICURUS ATHENIENSIS.

Epicurei ita vocati ſunt ab Epicuro, Neoclis, & Chaereſtrates filio, patria quidem Athenienſi, pago vero Chagettico ex Philaidarum familia, hujus ſectae patrono, qui lectis Democriti libris, in hortis, ubi ſuos agebat conventus, illius philoſophica placita explicabat. Epicuri philoſophiam elegantiſſimis carminibus, ſed omni Religione vacuis, ſex libris complexus eſt Lucretius Carus; eamque circa initium ſeculi ſuperioris maſculâ eruditione illuſtravit, ac multis in locis, uti par erat, ita emendavit Petrus Gaſſendus Presbyter, Praepoſitus Eccleſiae Dinienſis in Gallo-Provincia, & Regius in Academia Pariſienſi Matheſeos Profeſſor, ut nunc:

Petrus Gaſſendus Epicuri philoſophi illuſtrator, atque emendator.

Prae-

Digitized by Google

Praebeat ambrosios succos, oblita nocendi.

Vulgus hominum, immo & Peripatetici Epicurum infamant, utpote qui beatitudinem in gratissimo voluptatis sensu, & doloris vacuitate repositam esse dixerit; sicque Epicuri famam tam foeda labe aspersam, ad posteros transmiserunt, ut jam ablui, & expurgari vix possit; quamquam & olim, & nostris etiam temporibus ipsum ab hac infamia vindicare sunt conati, ut Torquatus (1) apud Tullium; Seneca (2); mox allatus Petrus Gassendus (3) in decimum Laërtii librum, & alibi; Erasmus (4) in colloquio, quod Epicurus inscribitur. Quippe hi omnes Epicurum bene vixisse & recta praeceptione, nec aliam voluptatem, quam quae ex virtutis actibus ducitur, animo conceptam habuisse, argumentis haut contemnendis persua-

Epicuri famam tam foeda labe aspersam nonulli, ut vix elui possit.

(1) Torquatus apud Tullium *lib. I. de fin. bonor. & malor.*
(2) Seneca *lib. I. de vita beata cap. XIII.*
(3) Gassendus in *X. Laërtii librum.*
(4) Erasmus in *colloquio* quod inscribitur *Epicurus.*

Digitized by Google

suadere conantur. Sed hoc non tanti nostrâ, qui nec Epicuri heredes, nec sectatores sumus, sed solius, ut speramus, veritatis amantes.

Interea vero Socratis methodus ab Arcesila Polemonis auditore, acerrimo ingenio, summaque eloquentia praedito, philosophiam optime constitutam perturbante, Socratis opinioni id unum addente, ut non modo nihil sciri affirmaret, sed ne posse quidem rem ullam sciri contenderet, contra Platonem, Aristotelem, & Zenonem, revocata fuerat. Inde Arcesilam subsecuti sunt Carneades, qui Romae magno auditorum concursu novorum Academicorum doctrinam explicuit; habuitque discipulos inter ceteros Chlitomachum, Philonem, Antiochum, a quibus eruditus est Cicero, qui & ipse Academicus fuit, ac Platonicae Methodi strenuus propugnator.

ARCESILAS.

CARNEADES.

Subsequentibus quippe temporibus, ut tetigimus supra, usque ad octavum circiter seculum post Christi adventum, maxime viguit Platonis doctrina, quam utpote hausta

Digitized by Google

ſtam ex Triſmegiſti columnis, & conformiorem moribus, & inſtitutis Chriſtianae fidei, impenſe excoluerunt & Graeci, & Latini Eccleſiae Patres, inter quos praecipue enituit Auguſtinus, qui ſtudium, & vigilias ſuas Platonicae doctrinae ſacravit, eâque utiliter uſus eſt ad intelligentiam variarum virtutum orthodoxarum, eamque ad refellendos Ethnicorum errores, aſſerendamque Chriſtianae Religionis veritatem adeo feliciter adhibuit, ut merito ſublimis Theologorum apex, & columen ſit, & habeatur.

Platonis doctrina utpote conformior Chriſtianae fidei, ab Eccleſiae Patrib. maxime exculta eſt.

Sed initio noni ſeculi, Arabes, qui antea, duce Mahomete, vaſtiſſimas Orbis Regiones, veluti Aegyptiis quibuſdam flagellis, ferro, flammiſque ſubegerant; quique tum late in Africa, & Hiſpania dominabantur, Ariſtotelis doctrinam, jamdiu ſopitam e tenebrarum latebris in lucem retraxerunt, atque publica gymnaſia inſtituerunt, ubi per quadringentos, & amplius annos interpretati ſunt, nedum ipſius Ariſtotelis libros Arabice redditos, ſed

Ariſtotelis doctrina, quae diu ſilluerat, ab Arabibus in lucem revocata.

ut

Digitized by Google

ut Delrius (1) teſtatur, Salmanciae, & Toleti in Hiſpania, & in Italia ad lacum Nurſinum, & in Spelaeo Viſignano praeſtigiatrices, ac magicas artes edocuerunt.

Ex Africa igitur in Europam; & ex Hiſpania in Italiam, indeque in Galliam decimo tertio poſt Chriſtum natum potiſſimum ſeculo cum ſermonis barbarie, tranſmigravit Ariſtotelea Philoſophia, eâdemet, quâ ab Arabibus recepta fuerat methodo, ſubtili ſcilicet, & contentiosâ, ut diſputatrix, & contentioſa Philoſophia jure diceretur; quaeque quoniam in Scholis per plura ſecula ſit uſurpata, variam, licet diverſis temporibus, fortunam experta ſit, de qua accurate Franciſcus Patritius ſcripſit, & praecipuus extat Johannis Launoii libellus, Scholaſtica appellata eſt, in qua vix ſane, aut ne vix quidem dixeris, res ne, an verba ſint obſcuriora.

Ariſtotelea philoſophia cur ſcholaſtica appellata?

Sed inter novos Peripateticos, tres ſunt celebriores ſectae in Academia

(1) Delrius *diſquiſit. Magic. lib. II. quaeſt. I.*

demia Parisiensi subortae, Thomistarum, Scotistarum, & Okamistarum, sive Nominalium, indeque Suaristarum, Bacconistarum, Realistarum, Formalistarum, aliorumque, qui omnes, quamquam inter se secti sint, unum tamen Aristotelem ducem sectari gloriantur!

Thomistarum caput fuit Sanctus Thomas Aquinas, Neapolitanus, qui eadem arma, seu eadem Aristoteleae Philosophiae tela, quibus adversarii, Christianam Religionem conflictare ausi sunt, in eosdem prosternendos feliciter retorsit, non secus, ac Rex Propheta Goliam profligavit ejusdem Gigantis gladio. Hic eo admirabili modo Rem Theologicam tractavit circa XIII. seculi medium, ut Doctor Angelicus jure diceretur, & ab ipsius Christi ore postulari meruerit, quam suorum laborum mercedem exposceret. S. Thomas Aquinas.

Scotistarum antesignanus fuit Johannes Duns Scotus, Ordinis Fratrum Minorum, qui ob summum ingenii acumen subtilissimi Doctoris nomen Parisiis consecutus est. Johannes Duns Scotus.

Oka-

Digitized by Google

GULIELMUS OKAMUS.

Okamistae, sive Nominales praeceptorem habuere Guillelmum Okamum natione Anglum, Minoritam, & ejusdem Scoti discipulum, qui in Academia Parisiensi floruit circa initium seculi decimi quarti, eo nempe tempore, quo Johannes XXII. Pontifex Romanus, ut modum imponeret inutilibus Theologorum illius temporis subtilitatibus, ut alibi diximus, ita scripsit Lectoribus Academiae Parisiensis: *Quidam etiam Theologi positipositis, vel neglectis necessariis, utilibus, & aedificativis doctrinis, curiosis, inutilibus, & supervacuis Philosophiae quaestionibus, & subtilitatibus se immiscent, ex quibus ipsius studii disciplina dissolvitur, luminis ejus splendor offunditur*, &c.

Epistola Johannis XXII. ad coërcendā sui temporis Theologorum licentiam in Theologicis quaestionibus.

Post renatas demum in Orbe literas, viri non pauci ingenio praecellentes, variis in locis vetustum morem jurandi in Aristotelis verba deserere coeperunt, & ab ejus placitis aliquando discedere, neque illicitum, neque inutile fore pluribus ostenderunt argumentis. Sed inter pri-

Digitized by Google

primos merito recenſetur Nicolaus Cuſanus, qui edito libro de docta ignorantia, aliiſque praeclaris opuſculis, oſtendit ſe plurimum ceteris ſapientiâ valere; enimvero vir fuit, ut inquit Trithemius in divinis Scripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſuo tempore facile princeps, atque in ſecularibus literis egregie doctus: Philoſophus, Rhetor, & Mathematicus celeberrimus, ingenio ſublimis, & eloquio diſertus, trium linguarum, Hebraicae, Graecae, & Latinae peritus, vita & converſatione integerrimus; quare a Nicolao V. literarum, & Literatorum amantiſſimo, in Sacrum Apoſtolici Senatûs Collegium, omnium laetitiâ, & congratulatione cooptatus eſt. NICOLAUS CUSANUS.

Et Nicolaus Copernicus Turunienſis Boruſſus, Canonicus Varmienſis, qui Ariſtarchi Samii Paradoxa, aliorumque veterum Philoſophorum placita dudum abſoleta, in lucem retraxit, ac libris ſex de revolutionibus Orbium Coeleſtium, Ptolomaicas Hypotheſes abſurdas eſſe, & axiomatis Mathematicis adverſas NICOLAUS COPERNICUS.

Digitized by Google

versas docuit. Sed hinc ingenium hominum per varios eruditionis tractus, tandem ad portum doctrinarum, nempe ad vetustiorem, & saniorem philosophiam longo cursu adpulsum est per reliquos praestantissimos doctrinâ viros; cum enim eruperit se ex Britannia Verulamius, ac inductione suâ ostenderit, experimentalibus instrumentis, naturae penetralia, interioresque operationes introspiciendas esse, prodidit e Florentia Galilaeus, qui praecipue Physicam Geometriae jugavit, & vasta Mundi corpora gubernari legibus motûs, & principiis staticis, docuit; ex Anglia Boylaeus, ex Belgia Van-Halmontius, ex Gallia Gassendus, & Carteſius, qui physica arcana rationibus quoque Mathematicis examinare conati sunt, atque Archimaedeâ doctrinâ restitutâ, & auctâ, Circino proportionali, Tubo optico, Machinâ pneumaticâ, aliisque id genus instrumentis quamplurimis, novisque observationibus, naturae januam, uberiori veluti foenore posteris aperuisse visi sunt; enimvero sicuti ager

GALILAEUS.

fit,

Digitized by Google

fit, intermissâ culturâ, igneque admoto, feracior, ita philosophia, quae Barbarorum incendiis jamdiu exaruerat, ex novâ praestantium ingenio virorum industriâ, segetem protulit laetiorem. Hinc quanto clarius, & certius plurima phoenomenorum obstrusissimorum fuerint explicata, ipsâ quotidianâ experientiâ docemur. Hinc optima philosophandi methodus. Hincque plurium stellarum detectio; in Lunae sphaera maculae, & umbrae exploratae; vis magnetica; aëris pressio, & elaterium; sanguinis circumlatio, & coagulum. Insectorum ex ovis generatio, aliaque id genus sexcenta:

. . . . . *quae longa vetustas*
Occulit arcanis oracula mersa tenebris.

Cum itaque, uti diximus, prodierit e Florentia Galilaeus, circa initium seculi superioris, egregius, inquam, alioquin ille Magni Etruriae Ducis Mathematicus, qui praetermissa Scholarum methodo, novas tentare vias est enixus; enimvero ope Tubi optici, cujus fuerat ad-

Tubi optici Galilaeus inventor, necnon & stellarum, quas Medicaeas appellavit.

Digitized by Google

inventor, immensas Aëtheris regiones pervagatus, absque oculorum perstrictione splendidam Solis lucem intuitus est, Lunae sphaeram penetravit, maculasque in hac, & umbras exploravit, & incognitas adhuc stellas, quas Medicaeas a Principum suorum cognomine, denominavit; cum prae ceteris voluminibus, Dialogum de Mundi systemate condidisset, in quo sententiam suam, quamquam non novam, de Terrae circa Coeli orbes nullo agitatos motu, conversione aperuit, a Quaesitoribus Fidei Romam evocatus, septuagenarius palinodiam publice canere jussus est, sedente Urbano VIII. Romano Pontifice. Quae opinio de motu Telluris circa Solem, cum paradoxica jam visa fuerit Ovieno, lepide inquit ad Guilelmum Gilbertum:

Galilaeus ejuravit, & palinodiam cecinit pro exuscitata hypotesi de motu Telluris circa Solem.

Stare negas Terram: nobis miracula narras:
Haec cum scribebas, tu vacc forsan eras.

Navigantibus enim litora moveri, & loca remotiora adcedere, aut recedere

cedere videntur, ut apud Virgilium, ubi Aeneas externam oculorum speciem secutus, inquit ad suos:

Provehimur portu, terraeque, Urbesque recedunt.

Immobilitas Telluris, & Solis mobilitas probatur Sac. Scripturae testimoniis.

Sed hisce Scripturae sanctae locis immobilitas Telluris, ac Solis mobilitas probari solent: *Sol egressus est super terram* (1); *Ortusque est ei statim Sol* (2): *Generatio praeterit, & generatio advenit; Terra autem in aeternum stat. Oritur Sol & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem* (3). Ad imperium autem Josue praecipientis, ne Sol, & Luna moverentur: *Stetit Sol in medio Coeli, & non festinavit occumbere spatio unius diei* (4). Alia loca, ut inquit, omnigerae literaturae vir Ludovicus Muratorius (5), praetermit-

(1) Genesis XIX.
(2) Ibidem cap. XXXII.
(3) Ecclesiastes cap. I.
(4) Josue X. XII. XIII.
(5) Ludov. Murat. de ingenior. moderat. cap. XXII.

Digitized by Google

to jam nota, & usu doctorum hominum trita, quibus Terrae quies, & motus Solis aperte memorari videntur in Sacris Codicibus. Ceterum nec desunt clariora pro Solis mobilitate sacrorum Librorum documenta, nec physicae, & mathematicae rationes. In hanc rem praeter Keplerum, & alios consulendi sunt Ricciolius, & Alexander Tassonius.

Artium documēta cedere fidei, sacrisque literis debent.

Illud vero hîc meminisse oportet, quod semper Ratio, semper Philosophia, aliorumque Artium documenta cedere Fidei, sacrisque Literis debent, aliquid evidenter tradentibus; non autem sacrae Literae, ac Theologia aliquid evidenter narrantes submittendae Rationi, & Philosophiae, quamquam istae evidentiam jactent quammaximam; quod sane ab ipsamet exigitur ratione, cum & sacris Literis, & Fidei, ac divinae Revelationi perpetuo, & necessario conjuncta sit veritas, secus vero philosophiae, & humanae rationi, cum quibus saepe error inhabitat. Quare in Lateranensi Concilio

Digitized by Google

lio ſub Leone X. (1) graviſſime profecto, ac ſanctiſſime anathematis gladio percuſſi fuerunt quidam Ariſtotelei, inter quos fuiſſe fertur Petrus Pomponatius, quod ſecundum philoſophicam doctrinam mortales eſſe hominum animos dicerent, licet ſecundum Chriſtianam Fidem immortales eſſe affirmarent. Rationem damnationis hiſce verbis concluſere Patres: *Cum verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem illuminatae Fidei contrariam, omnino falſam definimus.* Hinc relatus vir undequaque doctiſſimus Ludovicus Muratorius (2): *Nefas ingeniis noſtris eſſe*, inquit, *in cunctis artibus, ſive diſciplinis, aliter ſentire, quam Veritatis oracula clamant*; unde Eccleſiae Paſtoribus jus eſt a Deo datum hîc quoque coërcendi temerarias hominum mentes, cum per eorum ſententias aliqua ex parte laeditur Fidei doctrina, aut ſacroſanctae Literae erroris, ſive menda-

Jus eſt Eccleſiae Paſtoribus coërcēdi ingeniorū licentiam.

(1) Concil. Later. *ſeſſ. VIII.*
(2) Ludovicus Muratorius *de ingenior. moderat. cap. XXI.*

Digitized by Google

cii ſuſpicione aſperguntur.

Sed Galilaei veſtigiis inhaerentes quamplurimi ejuſdem cenſûs Philoſophi veluti relatus Gaſſendus, Carteſius, Boylaeus, Harvaeus, Malpighius, aliique, ut inquit Purchotius (1), mechanicam philoſophiam a Democrito, & Epicuro quondam excultam inſtaurarunt, multiſque in locis, prout neceſſarium viſum fuerat, reformarunt. Hinc ex hiſce, duae potiſſimum exortae ſunt recentiorum Philoſophorum Sectae, ſcilicet Gaſſendiſtarum, & Carteſianorum.

PETRUS GASSENDUS.

Gaſſendiſtae praeceptore gloriantur memorato Petro Gaſſendo, quem Orbis Terrarum cantat, nec injuriâ; vixit enim quantus ei vitae curſus fuit in virtute totus; & editis exercitationibus paradoxicis octo adverſus Ariſtoteleos; libris octo de vita Epicuri; inſtitutione Aſtronomica; aliiſque multiplicis literaturae voluminibus, ita clarus obiit ut vivat adhuc; unde ſub ejus effigiem haec carmina depinxit Poëta Anonymus:

HIC

(1) Purchotius in *praef. Inſtit. philoſoph.*

Digitized by Google

HIC EST ILLE, DEDIT CUI SE NATURA VIDENDUM,
ET SOPHIA AETERNAS CUI RESERAVIT OPES:
INVIDA NON TOTAM RAPUISTIS SIDERA. VULTUM
NANTOLIUS. MENTEM PAGINA DOCTA REFERT.

Gaſſendum, prae ceteris ſectati ſunt Emmanuel Maignanus Ordinis Minimorum, Caſimirus Capuccinus, Sebaſtianus Baſſonius, Magnenus, Iſaacus Cardoſus. Principia corporum faciunt puncta phyſica, hoc eſt partes extenſas, & inſectiles: quod utique magna Peripateticorum pars admittunt, teſte Du-Hamelio, tametſi τῶ ἀτόμων Graecam nomenclaturam, ut pernicioſam fugiant.

Carteſiani ſecuntur Renatum Deſcartes Hagae Turonum in Gallia natum, decimo ſexto declinante ſeculo. A prima juventute Flexiae ſtudiis deditus ſub PP. Societatis Jeſu diſciplina, in Philoſophia, & Mathematicis, ſtupendos fecit progreſſus: arma dein more nobilium in

RENATUS DESCARTES.

Digitized by Google

Germania, & Hungaria feliciter circumtulit; ſed Philoſophiâ ſeceſſum poſcente, Egmontium in Hollandiam conceſſit; ibique, vir acerrimi ingenii, & praeceptis, & exemplo, mentis adſenſum cohibendum in Phyſicis, & nonniſi illuceſcenti veritati praebendum eſſe docuit, convectâ materiâ ex atomorum, aliſusve veteris philoſophiae ruinis, ut ex Huetio (1) colligitur, per hyemem in Hypocauſto, ita coepit philoſophari, ut forte nemo antea fuerit auſus, utpote cui forſan:

. . . . . arte benignâ
Et meliore luto finxit praecordia Titan.

Totam, itaque philoſophiam ſuam, aequis rerum aeſtimatoribus videtur deſumpſiſſe Carteſius ex Democrito, Epicuro, & Leucippo, qui omnia ex corpuſculis angulosis, levibus, & uncinatis, ſive hamatis concreta eſſe volebant; ut non temere ſcripſerit idem Huetius

Eruditorum cenſura de Cartheſii philoſophia.

(1) Huetius *cap. VIII. cenſur. philoſoph. Carteſ.*

Digitized by Google

tius (1): *Leucippus Eleates, Democritus, & Epicurus Carteſio praeluſerunt in Mundi hujus aſpectabilis explicandis cauſſis; nam praeterquam, quod individua corpuſcula, & inane admiſerunt, quae repudiavit Carteſius, cetera prope omnia conſentiunt.* Cum enim placuerit Carteſio Mundum indefinitum, individua corpuſcula admittere non debuit. Ceterum cum corporis naturam in ſola trina dimenſione poſitam eſſe differit, nec inane, quod naturaliter Democritici, & ſupernaturaliter Ariſtotelei adſtruunt, aſſeruit. Sed hanc Carteſii de vacuo opinionem irridens Martialis Anglus, ſic inquit in Marcum:

Carteſius; cur individua corpuſcula & inane nõ admiſerit?

Eſſe in Natura vacuum, cur
Marce negaſti?
Cui tamen ingenii tam ſit inane caput.

Plurima quoque in metaphyſicis hauſit, tum ex Antoniana Margarita Gomeſii Pereyrae Hiſpani, qui centum

(1) Huetius *ibidem.*

Digitized by Google

tum circiter annis ante ipsum floruit; tum ex libro, quem de immenso, & innumerabilibus scripserat maleferiatus ille philosophus Jordanus Brunus Nolanus. Quin & *ego cogito: ergo sum*, quod suae doctrinae praecipuum fuit fundamentum, ex Divo Augustino (1) desumtum inquit Mersennus, ex Crysippo Daniel Huetius (2); & ex Plauti Amphytruone Johannes Baptista Vicus (3). Omnia vero quae ex aliis philosophis sumpsit Cartesius, adeo mathematicis rationibus jugavit, ac optima sane methodo illustravit, ut prorsus nova & ex proprio penu desumta videantur.

Cogito: ergo sum, unde Cartesius desumpserit?

Sed tandem, cum post ingentes consumtos ad philosophandum labores, in Sveciam vocatus esset a Christina Regina sapientissima, Holmiae occubuit, nondum agens quinquagesimum quartum annum Car-

(1) S. Augustinus *lib. II. de Civit. Dei cap. XXVI.* & *lib. II. cap. III. de lib. arbitrio*, & *lib. X. de Trinitate*.
(2) Huet. in *cens. philosoph. Cartes. cap. 5.*
(3) Vicus *de antiq. Ital. sapient.*

Digitized by Google

Carteſius, ad cujus effigiem hoc Thetraſticon compoſuit Anonymus quidam:

TALIS ERAT VULTU NATURAE FILIUS: UNUS
QUI MENTI IN MATRIS VISCERA PANDIT ITER.
ASSIGNANSQUE SUIS QUAEVIS MIRACULA CAUSSIS,
MIRACULUM RELIQUUM SOLUS IN ORBE FUIT.

Et ſatis ſuperque de philoſophia, & philoſophorum ſectis, ex quibus ſi non hauſimus lucem, ſaltem tenebras excutiamus cognitione ignorantiae noſtrae, quam non aliunde eruere licebit, niſi e ſacris Literis, ubi Deus, omiſſis cauſſis rerum ſingularium, quarum cauſſarum cognitione minus indigemus; utpote quae ad ſalutarem Fidei, & morum veritatem non pertinent; vere utilia ad aeternam beatitudinem conſequendam tradidit. Hinc prae ceteris Ethnicorum philoſophantibus, philoſophatus eſſe perhibetur Socrates, quod ſepoſitis iis quae ad inanem potius hominum cu-

Ignorantia noſtra a ſacris literis eruenda.

Digitized by Google

curiosítatem pascendam erga Mundi elementa, & corpora, quam ad pacem procreandam animorum essent aptiora, studium complexus est divinae humanaeque naturae, atque universitatis rerum, indeque artem extruxerit beatae, hoc est honestae, & summo Numini acceptae vitae; omniaque contraxerit ad usum hominis, & regimen doctrinamque morum: ut justitiam, quae Civitatem servat incolumem, & singulis civibus tranquillitatem parit, Urbibus praeficeret, atque in mentium humanarum arce locaret, ut ex ipsius Philosophi disputationibus Platonicis in libris cuique asserere licuerit.

Socratis studium.

Excussis hactenus pro viribus nostris aequâ lance, cum veterum, tum recentiorum Philosophorum sectis, eorumque placitis, ne recoctam crambem obtrudamus de rebus praeclare, ac diserte ab aliis exagitatis; Philosophiae enim Historiam post Laërtium, & Plutarchum scripserunt praestantissimi doctrinâ viri, inter quos numerantur Vossius,

Digitized by Google

sius, Hornius, & Thomasinus, quibus nuper adcessit eruditissimus Johannes Baptista Capassus. Ceterum & peculiaris philosophiae historiam contexerunt, Platonicae Ficinus, Stoicae Lipsius, Epicureae Gassendus, & Scepticae Dominus la Motte-le-Vayer; concludere demum lubet cum Scaligero in carmine Epidorpidum.

Procul ab procul a Philosopho
loquacitas sit,
Schemataque rotans nenia, temporis: voratrix,
Schola, sed schola sit sobria, sed forum forum sit:
Nec deesse videbis, quibus arridet ineptis,
Oris streperi murmure, ferreaque lingua
Bardi tumidas fundere dictionis offas:
Quos scrupea tum gloria risui propinat.
Ast ego miseros deputo: ridere nec ausim;
Stomachum potius faciant, si velim moveri.

Sed

IX. DE SACRA SCRIPTURA, ET DIVINA TRADITIONE.

Sed jam tempus aequum ad Divina demigrare a profanis : *Vani enim sunt omnes homines*, ut increata Sapientia dicit (1), *in quibus non subest scientia Dei*. Quippe cum homo ad imaginem Dei conditus sit, manifestissimum in se gerit argumentum, quo illius scientiam habeat. Quare quod est apud Platonem in Alcibiade primo, initium omnis humanae sapientiae his verbis contineri : *Nosce te ipsum*, eo verius est, quod nemo seipsum recte cognoscere possit, quin sui Creatoris scientiam habeat. Verum cum hujusmodi scientia ex fontibus potissimum utriusque Testamenti hauriatur, quod primus est veritatis Canon, & promtuarium, assiduam Sacrae Scripturae lectionem commendat Christus Dominus dicens: *Scrutamini Scripturas*. Et Spiritus Sanctus (2) : *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*. Hinc, sa-

Initium humanae sapientiae, ex Platone.

(1) Sapientia *cap.* III.
(2) Josue *cap.* I.

Digitized by Google

sacrarum Literarum inscitiam Leo magnus, non tantum in Sacerdotibus, nec excusatione dignam, nec venia, sed in omnibus ferme fidelibus detestandam nimis esse inquit. Si igitur ignoratio Scripturarum, quae sane ignoratio Christi est, in Sacerdotibus nec excusatione digna, nec venia, & in fidelibus cunctis non semper excusanda, quid in Episcopis, quorum praecipuum munus, ut inquit Tridentina Synodus (1), est Evangelii praedicatio, utpote *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo?*

Evangelii praedicatio praecipuum Episcoporū munus.

Quare Christus Dominus eos & lumen Mundi, & sal Terrae nuncupasse legimus apud Matthaeum (2) nimirum, ut ait Sanctus Augustinus (3): *Ipsi sunt per quos illuminandi, & condiendi quodammodo sunt populi. Itaque si sal infatuatum fuerit*

(1) Tridentina Synodus *sess. XXV. de reformat. cap. I.*
(2) Matthaei *V.*
(3) S. Augustinus *lib. I. de serm. Domini in monte cap. X. & XI.*

Digitized by Google

fuerit, in quo ſalietur? ideſt ſi Praeſules Eccleſiae, per quos erudiendi ſunt, Fideles in errores labi contigerit, qui erunt homines, per quos ab illis error auferatur, cum eos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum? Epiſcoporum non obſcurum exemplar, eorumque munus Angelicis humeris formidandum, nobis ſuppeditat Paulus Apoſtolus (1), ubi non tantum vult *Epiſcopum ſine crimine eſſe . . . . . Hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem*; ſed vult etiam *amplectatur eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, redarguere*. Quomodo autem eos exhortetur in doctrina ſana, & redarguet, qui Chriſti ovili praeeſt, niſi & pietate, & ſacris fuerit Literis exornatus? Quare cum non in alium finem Magiſtri, & Duces dati ſint Epiſcopi populo

Non obſcurum Epiſcoporum exemplar ab Apoſtolo expreſſum.

Epiſcopi, unde vires ſibi parare debent, ut muneri, inſtitutoque ſuo reſpondeant?

(1) Paulus Apoſtolus *epiſt. ad Timoth. cap. III. & ad Titum cap. I.*

Digitized by Google

pulo Dei, nisi ut illum doctrinâ sanâ imbuant, & veritate confirment, & ab erroribus arceant, sacras Literas frequentius lectitare velim, ut recte suo fungantur munere; seque in aedificationem commissi sibi Gregis, non in destructionem a Spiritu Sancto vocatos esse, cognoscant.

Si falsas etiam inter Religiones, seu potius superstitiones, nulla secta est, quae non sua quamquam falsa Dogmata in Codices relata a suis jubeat Sectatoribus lectitari: ad idem scilicet impellente ipsâ hominis naturâ, cui quamvis originariae labis vitio obfuscatae, aliqua semper saltem confusa adfulget summi Numinis, cultusque illi debiti notio? Qui fieri potest, ut Christianae, itidemque verae Religionis inconcussa, & sancta Dogmata sacris insculpta Codicibus Christi fideles, ita hectae faciant, ut eorum lectionem prorsus negligant? Itaque nil antiquius fidelibus Christianis esse debet, quam ut Sacrorum Bibliorum lectioni, quam frequentissime

Nulla secta est quae nō sua licet falsa Dogmata descripta habeat a suis legenda.

Digitized by Google

vacent, a quibus, juncta Ecclesiae traditione recte agendorum regula, Orthodoxae Fidei Dogmata, ac salus aeterna pendent.

Non omnibus fidelibus obtrudenda Sac. Scripturae lectio.

Verumenimvero non omnibus fidelibus indiscriminatim obtrudenda est sacrorum Librorum lectio: quandoquidem plerique tum ob inscitiam, tum maxime ob dominantes sensuum passiones, antidotum in venenum convertunt, & perverse interpretantes, quae rectissime conscripta sunt in pernicioſissimos labuntur errores. Hinc factum est, sicuti recte adnotat Sixtus Senensis libro primo Bibliothecae Sacrae, ut librum Cantici Canticorum, una cum exordio libri Geneseos, & initio ac fine Ezechielis, prisci Hebraei propter arcanos sensus tanta veneratione prosecuti sint, ut noluerint legi nisi post tricesimum aetatis annum. Diversa vero ratio est Ecclesiasticorum majorum praesertim Sacerdotum, atque minorum: qui cum aliis illuminandis destinati sint in id vel maxime incumbere debent, ut eâ polleant scientiâ, & facultate, quae

Digitized by Google

quae satis sit ad rectam Sacrorum intelligentiam: eaque noctuque diuque rimari perscrutarique debent adijuti tamen PP. ac Ecclesiae Catholicae interpretationibus; ne scilicet propriis ingeniis nitentes suorumque sensuum vanitate abducti, in errores praecipites ruant. Sed proh dolor! Sacerdotum pars maxima divinorum Librorum lectionem ita negligunt, ut eam despicatui habere videantur. O caecitatem horribilem! o imprudentiam flagitiosam! Quare continentibus apud Deum votis agendum est, ut hujus nostrae insipientiae tenebras in re maximi momenti, suae benignitatis luce discutiat. Leviter enim peccat, qui errando aliis ridendum se praebet; at lapsus in fide, quem parit scripturarum, Ecclesiasticarumque Traditionum insciția, non hominum risu, vel contemtu; sed Dei irâ, ultioneque, non fluxo, & mortali, sed aeterno, & immutabili judicio punitur. Oportet ergo ut in rem tam unice necessariam, in qua persuasio tutissima est; cum

Lapsus in fide aeterno, & immutabili judicio punitur.

nusquam tuta veritas, nisi in ipsa veritate, totis viribus incumbamus; aequove animo nos geramus; nec tam longe provehamur ut cupiamus sapere plusquam oportet, sed intellectum captivum dedamus in obsequium Religionis, ut inculcat Apostolus (1). Homines ad iter accinguntur in crastinum; aestate ligna reponunt in hyemem, hyeme glacies in aestatem: serunt arbores, quae alteri seculo prosint; nec certi tamen habent quidquam, vel de seculo futuro, vel futura aestate, & hyeme, vel de die crastino, praeter meram conjecturam, quam de praeteritis fecerunt. Quin vero ignorat Mercator, an, & ubi sit India, soli tamen hominum dicto fidens:

Hominū sollertia in humanis rebus agendis.

. . . . . navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabulâ distinguitur unda.

Cum igitur & caput, & fortunas omnes suas tot periculis objectent homines spe temporarii lucri, secuti hominis fidem, qui mendax

(1) Apostolus *II. Corinth. X.*

Digitized by Google

dax est; cur, ubi de perpetua, & certissima felicitate agitur, non aures vacuas commendent verbo Dei?

Scitum est illud Manilii Poëtae (1), qui ut hominum socordiam in quaerendo Deo suggillaret, haec lectu dignissima subnectit carmina:

Ut veniant Gemmae totus transilitur Orbis.
Quaeremus lucrum navi, mortemque sequemur.
In praedas? Pudeat tanto bona velle caduca.
Quid dabimus Coelo? Quantum est quo veneat omne?

Ut autem admoneat hominem sui muneris ut Deum acquirat, subdit:

Impendendus homo est Deus esse at possit in illo.

Verbum Dei triplex est; scriptum, traditum, & explicatum. Verbum Dei scriptum utriusque testamenti paginis continetur; cujus universum argumentum est primi Parentis lapsus, ejusque reparatio per Messiam; hinc nihil melius, ac utilius

Verbum Dei triplex.

(1) Manilius lib. IV.

lius ſuadendum fidelibus, qui ſint capaces, quam ut in divinis, tum veteris, tum novi Teſtamenti libris legendis, & meditandis aſſidue, ac diligenter verſentur; nam omnia in illis reperiuntur, quae a fidelibus accurate ſcienda ſunt, quaeque ſi quis legere, & animo imprimere ſtuduerit, nihil habebit amplius ad ſalutarem morum ſcientiam exoptandum.

Verbum itaque Dei ſcriptum tum in veteri, tum in novo teſtamento, quod Chriſti ſanguine ſignatum eſt, continetur. Hinc ut ſacrorum librorum Catalogus memoriae mandetur, utque facilius cum opus eſt, adeantur, hîc eos breviter enumerare non pigebit.

Veteris Teſtamenti idea.

In veteri teſtamento prima frontе ſe offert Pentateuchus, ſive volumen quinque librorum Moyſis, nempe Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Geneſis ita dicitur, quia primam Mundi creationem refert. Exodus, ſive exitus, qui exitum filiorum Israël ex Aegypto commemorat. Leviticus

Digitized by Google

cus, quo Levitarum officia, & munia describuntur. Numeri, quia varias populi Hebraei numerationes recensęt. Quintus denique Deuteronomium nuncupatur, seu secunda lex, quia legis repetitionem, & inculcationem continet.

Pentateuchum sequitur liber Josue, qui historiam Josue successoris Moysis complectitur; tum liber Judicum, qui Judices post Moysen, & Josue fuerunt populi Judaici duces; liber Ruth, quatuor libri Regum, qui Reges post Judices populum rexerunt; Paralipomenon duo, idest, Praetermissorum, quia quae in libris Regum erant praetermissa, supplent. Subsecuntur inde Esdrae liber primus, & secundus, qui & Nehemias vocatur. Tobias, Judith, Esther, Job: Psalterium Davidicum, complectens psalmos centum quinquaginta. Accedunt libri Sapientales, in quibus passim sparsa sunt divina documenta ad morum Sanctimoniam comparata; hi libri Salomoni communiter tribuuntur; suntque scilicet

Parabolae, seu Proverbia; Ecclesiastes, seu Concionator; Canticum Canticorum, Sapientia, & Ecclesiasticus a Jesu filio Sirach compositus. Hisce cohaerent quatuor Prophetae majores, nimirum Isaias, Jeremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel: tum duodecim Prophetae minores, scilicet Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, & Malachias. Tandem vetus testamentum concludunt duo Machabaeorum libri, qui, ut ait Hieronymus, ita vocantur a praecipuo sacrorum bellorum duce Juda Machabaeo. Ad quorum librorum recordationem non sine operae pretio hos versiculos excribere duximus ex Purgotio:

Genesis, Exo, Levi, Numerorum, Deuteronomi,
Tum Josue, Judi, Ruth, Regum, Paralipo, Esdrae,
Tobias, Judith, Esther, Job, Psalteriumque
Proverb, Ecclesiast, Cantic, Sapi, Ecclesiastic.

Esai,

Digitized by Google

Esai, Jeremi, Baruch, Ezech;
Danielque,
Ose, Joël, Amos, Abdias, Jona,
Micheas,
Atque Nahum, atque Habacuc,
Sophon, Aggae, Zachariasque,
Atque Malachias, binique libri
Machabaei.

Sed in novo Testamento primum obtinet locum Tetrateuchus, seu volumen, quatuor Evangeliorum libros continens, nimirum, secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Johannem: sequuntur deinde Actus Apostolorum a Beato Luca Evangelista conscripti. Tum quatuordecim Epistolae Beati Pauli Apostoli; postea septem Epistolae Catholicae, idest universales, cum non ad unum dumtaxat hominem, aut populum, sed ad omnes Christi fideles directae sint; quarum una Divi Jacobi, duae Sancti Petri, tres Beati Johannis Evangelistae, & una Divi Judae, seu Thaddaei. Postremus novi Testamenti sacer Liber est Apocalypsis ejusdem Sancti Johannis

Novi Testamenti idea.

Digitized by Google

nis Evangeliſtae in Inſula Pathmos, ad quam, juſſu Domitiani Imperatoris, propter Chriſti fidem fuerat relegatus, conſcripta.

Haec quoque memoriae juvandae cauſsâ verſiculis pariter inclusa ſunt: quorum ſecundo numerus, & ordo Epiſtolarum Divi Pauli declaratur; nam vocula monoſyllaba *Ro*, ſignificat unam eſſe Epiſtolam ad Romanos. Tum vocula diſſyllaba *Cori*, duas ad Corinthios exprimit:

Matthaei, Marci, Lucae, Johannis, & Acta.
Ro, Cori, Gal, E, Phi, Col:
Theſſa, Timo, Ti, Phil. Heb.
Jacobi una, duae ſunt Petri,
treſque Johannis,
Judae una: extremum eſt Apocalypſis opus.

Utriuſque Teſtamēti ſacrorū librorū ſeries, conſtanti traditione in Eccleſia adſervata.

En ergo Sacrorum Librorum utriuſque Teſtamenti ſeriem, quos Chriſti Eccleſia ab temporibus Apoſtolorum uſque, conſtantiſſima traditione tenet, & tenuit. Eos enim Concilii Tridentini (1) Patres accepere

(1) Concil. Trid. *ſeſſ. an. IV. de Script. canon.*

Digitized by Google

pere ab Eugenio IV. (1) Romano Pontifice in instructione Armenorum; Eugenius a Gelasio (2) in Concilio Romano, Gelasius a S. Augustino, S. Augustinus (3) a Concilio Carthaginiensi; & hujus Carthaginiensis Concilii Patres ab Innocentio I. (4) sedente initio quarti seculi, ad Exuperium Episopum Tolosanum scribente, & asserente enumeratos Libros, ut divinos in Ecclesia suscipiendos esse, secundum Traditionem ab Apostolorum temporibus in Ecclesia Romana conservatam.

Omnia autem non solum res, & sententias, sed & singula enumeratorum sacrorum Librorum verba usque ad minimos apices fuisse a Spiritu Sancto dictata, vel ex eo colligunt communiter Doctores, quod Prophetae, dum in Scripturis locuntur, passim dicant: *Haec dicit Dominus* (5): *Factus est sermo*

Singula sacrorum Librorum verba usque ad minimos apices a Spiritu Sancto dictata.

(1) In *Instruct. Armenor.*
(2) In *Concilio Romano.*
(3) *Lib. II. de doctr. Christ. cap. VIII.*, *Concil. Carthaginien. III. Can. XLVII.*
(4) Ad *Exuper. cap. ultimo.*
(5) Isaiae *cap. V.*

Digitized by Google

mo Domini ad me, dicens (1) : *Factum est verbum Domini ad me dicens* (2). Hinc S. Petrus (3) : *Non enim*, inquit, *voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Sanctus Hieronymus (4) : *Singuli sermones*, ait, *syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus. Sola Apocalypsis Johannis tot habet Sacramenta, quot verba*. Et S. Chrysostomus (5) : *Nihil hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem spiritu afflati Prophetae locuti sunt, neque vel syllaba, vel apiculus est in sacris Literis, in cujus profundo non sit grandis thesaurus*. Concludendum itaque cum Divo Gregorio (6) : *Ipsum haec scripsisse, qui haec scribendo dictavit*.

Sed

(1) Jeremiae *cap. XIII.*
(2) Ezechielis *cap. VI.*
(3) S. Petrus *epistola II. cap. I.*
(4) S. Hieronymus in *cap. VI. Matthaei*; & *epistola ad Paulinum*.
(5) Chrysostomus *homil. XXII. in Genesim*.
(6) Gregorius in *praefat. lib. moral. expositi in Job.*

Digitized by Google

Sacrae Scripturae sensus quotuplex?

Sed non unicus est Sacrae Scripturae sensus, ut perperam asserebat Kennitius, sed multiplex, ut vel ex ipsa Scriptura, & divina eruitur Traditione, quae non unius tantum loci, sed & plurium varios sensus proponunt: verbi caussâ, quod Geneſis (1) legitur de duobus Abrahae filiis, quorum unus de ancilla, alter vero de libera natus est, Apostolus Paulus (2) de duobus Testamentis vetere, & novo interpretatur. Hinc duplex communiter habetur Sacrae Scripturae sensus, nempe literalis, sive historicus, & spiritualis, sive mysticus. Verum quia spiritualis hic sensus, vel pertinet ad Fidem, & Ecclesiam militantem, vel ad morum instructionem, & officia charitatis, vel ad vitam aeternam, quam speramus, sive Ecclesiam triumphantem, ideo spiritualis ille sensus in primo dicitur Allegoricus; in secundo Tropologicus, seu Moralis; in tertio Ana-

(1) Geneſis *XVI.* & *XXI.*
(2) Paulus Apostolus ad *Galat. IV.*

Digitized by Google

Anagogicus vocatur: ac proinde quaduplex esse potest Scripturae sensus, videlicet literalis, qui est primo, & principaliter a Spiritu Sancto intentus, modo, ut Paulus loquitur, *litera, non occidat*; Allegoricus, Moralis, & Anagogicus, qui hisce duobus versiculis concluduntur:

Litera gesta docet, quid credes Allegoria,
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Quadruplicis Scripturae sensus in una voce explicatio.

Quem quadruplicem sensum in hac voce *lux*, reperiri cernes; nam cum dicitur *fiat lux* in Genesi, literaliter sumi potest pro ipsa corporea luce, quae initio Mundi a Deo creata est. Allegorice significat Christum, *qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Tropologice vero gratiam Spiritus Sancti, *qui est lumen cordium*. Anagogice demum lumen aeternae gloriae, de quo dicitur *lux perpetua luceat eis*. Hisce autem ducibus unumquemque Sacrae Scripturae sensum quisque adsequi po-

Digitized by Google

poteſt, nempe Hieronymo literalem, Origine, & Ambroſio Allegoricum, & Anagogicum; Chryſoſtomo, & Gregorio Moralem. Hinc illi Sixti Senenſis verſus:

Hiſtoriam Hebraeis, e Graecis fontibus hauſtam
Hieronymo diſces duce.
Allegorias, Anagogiaſque recludent
Origenes, & Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis ſermonibus aptos
Chryſoſtomus, & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine merſis
Aurelius lucem fert.
At brevis, & facilis non ſpernenda Tironi
Lirinenſis expoſitio.

Sed hîc animadvertere oportuit, quod non refractaria, & tam acuta ingenia, quam dociles, & pios animos poſtulat divina veritatis diſciplina. Cujus rei ipſemet Chriſtus Dominus nobis exemplo eſſe poteſt, qui tumida eruditione modeſtae ſimplicitati poſthabita, ſublimitatem ſen-

Dociles, & pios animos expoſtulat divina veritatis diſciplina.

Digitized by Google

sententiarum, humili sermone deprimebat. Quare vel temperandis, vel praecavendis ingeniis in Religionis negocio perutilem edidit librum vir sane doctissimus Ludovicus Muratorius. Hinc viri ingenio, & eruditione praestantes, ut viam munirent verbo Dei, prius ex hominum animis eradicandum censuerunt philosophiae, ut ita dixerim, dominatum, haec quippe ut serva adhibenda est iis in rebus, quae Fidem spectant, non ut domina; Dialecticam vero, quae vel Aristotelem jactat auctorem, quamquam bonam, & forte necessariam, ut ait Clemens Alexandrinus (1), cum ancipitem habeat usum non immerito Tertullianus (2) vocaverat: *Artem disputandi, aptiorem diruendae, quam fabricandae veritati, de qua loquitur Apostolus illis verbis: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum*

Philosophia ut serva adhibēda in rebus Fidei.

(1) Clemens Alexandrinus *lib. I. stromat.*
(2) Tertullianus *lib. de praescript. haeret. cap. VII.*

Digitized by Google

cundum elementa Mundi, & non secundum Christum. Quippe Religionis Christianae veritas, non ab humanae rationis argutiis, aut Philosophorum tricis, quibus saepe falsitas implicatur, sed a Sacrae Scripturae anchorâ, & divinae Traditionis praesidio, quae sunt primus canon, & infallibilis veritatis promtuarium.

Cujuscunque igitur Christianae doctrinae aedificium, fundamentum habeat necesse est in Sacris Scripturis, ac divina Traditione, alias in errores maximos nos dilabi experiemur. Quippe, nonne quod de Cerintho, Ario, Nestorio, Dioscoro, aliisque similibus olim, recentius de Wicleff, Husz, Luthero, Calvino, Zuinglio & hujusmodi infidelitatis belluis, a propria, & indiscreta ortum duxit opinione? Propositiones *Osmanae* sub Sixto IV. *Mirandulanae* sub Innocentio VIII., *Bajanae* sub Pio V., *Jansenianae* sub Innocentio X., *Molinistae* sub Innocentio XI., *Cameracenses* sub Innocentio XII., Anonymae variae sub Alexandro VII., eodem Innocentio XI.

Cujuscumque Christianae doctrinae aedificium, Sacrae Scripturae, divinaeque Traditioni nitatur.

Digitized by Google

& Alexandro VIII. *Queſnelianae* ſub Clemente XI., & aliae hujusmodi, quibus ſanctiſſime profecto infallibilis univerſalis Eccleſiae auctoritas, nigrum theta praefixit; nonne ex eo, quod proprio ingenio, & nimio Dialecticae uſui confiſi a recto Sacrarum Scripturarum, divinaeque Traditionis tramite aberrarunt?

Non inquam inerudito zelo, de quo loquitur Apoſtolus (1), aut ratiociniis a ſolo humano ingenio petitis, credendum eſt, quae, ut plurimum, ſunt fallibilia, & quotidie veritati bellum indicunt, & errori patrocinantur: *Satanas enim*, inquit idem Gentium Apoſtolus (2), *transfigurat ſe in Angelum lucis, & falſa pro veris ſuggerit ſaepe*. Hinc & Chriſti Paſtoribus coërcendus fuit ineruditus Janſenii zelus, quo ad perniciosarum novitatum vepres proxime ſuperiore ſeculo, conjicere conabatur fideles. Hinc multa philoſophorum eorum ſententiâ comprobata principia per

Inerudito zelo, aut mentis humanae ratiociniis nusquam tuto fidendum eſt.

Fi-

(1) Paulus Apoſtolus ad *Romanos X.*
(2) Idem *II. ad Corinth. II.*

Digitized by Google

Fidem, vel prorsus falsa, vel non undequaque vera ostensa sunt, veluti in argumento Creationis: *De nihilo nihil*. In argumento annihilationis: *In nihilum nil*. In resurrectionis mortuorum mysterio: *A privatione ad habitum, non datur regressus*. In Mysterio SS. Trinitatis: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. In Venerabili Eucharistiae Sacramento: *Accidentis est inhaerere proprio subjecto*. Unde huc profecto spectare videtur, quod mox relatus Paulus (1) admonet: *Sapientia hujus Mundi, stultitia est apud Deum*. Hinc Leo Magnus (2): *Abigatur igitur*, inquit, *procul terranorum caligo rationum, & ab illuminatae Fidei oculo, mundanae sapientiae fumus abscedat*.

Plurima Philosophorū principia, per Fidem, aut prorsus falsa, aut non undequaque vera.

Sed quod de uno Aristotele quidam viri ceteroquin emunctae naris censuêre, de aliis quoque & veteribus, & recentioribus philosophis dicendum est; omnis enim philosophia sibi relicta, & humani inge-

(1) Paulus Apostolus *I. ad Corinth. III.*
(2) Leo Magnus *serm. VII. de Nativit. Domini*.

Digitized by Google

nii ratiocinio tantum innixa, majore ex parte Religioni adversatur; neque ullus fuit haereticus, qui non alicui Philosophorum sectae suos debeat errores; scilicet Origenes, & Valentinus Platonicae; Marcion, Stoicae; Arius, Joëtius, Eunomius, Peripateticae, ut narrat Epiphanius; e cujus etiam placitis & immanem, ac praedatoriam regnandi Principum institutionem Nicolaus Machiavellus, ut asserit Campanella, & virus suum hausit Berengarius, quod in Sanctissimam Eucharistiam evomuit, ut tot adversus eum congregata Concilia, testatum faciunt; unde jure inquit P. Cresollius Jesuita in suo Mystagogo: *Berengarius, cum ab Aristotele didicisset Soriten, & Pseudodaemona, aliasque interrogatiunculas tortuosas, iisque magnifice gloriaretur, impulsus a Daemone fuit, ut divinissimum Sacramentum versutis argutiis impugnaret*. Rectissime etiam S. Thomas (1), Pythagoreos Manichaeis viam

Vix ullus fuit haereticus, qui alicui Philosophorum sectae errores suos non debeat.

(1) S. Thomas *I. part. quaest. XLVIII. art. I. ad 1.*

Digitized by Google

viam praemuniviſſe docet, ajendo *malum eſſe naturam quandam ſubſiſtentem, non ſecus ac bonum*: ideoque, *bonum, & malum*, quaſi duo genera, aut duas categorias conſtituiſſe. Quae fuit etiam mens Perſarum, ut ex Laërtio diſcimus; & videri poteſt apud Plutarchum libro de Iſide, & Oſiride. Et tandem, ut nihil dicam de recentioribus philoſophantibus commemoraſſe ſat erit Jordanum Brunum, Thomam Campanellam, Thomam Hobbium, Benedictum Spinoſium, alioſque qui plus nimio philoſophorum placita amantes, eaque ingenti faſtu, tanquam ſua recudentes, in peſſimos errores abiêre, ut ex eorum docemur monumentis. Hinc eſt, quod jure conquerebatur Nazianzenus, *Pyrrhonis inſtantias, Chryſippi ſyllogiſmos, Ariſtotelis pravum artificium, & facundiae Platonis praeſtigias, male in Eccleſiam Dei irrepſiſſe, tanquam Aegyptia quaedam flagella.* Quare jure optimo Sacri Canones, & Eccleſiae Patres effrenatae philoſophandi methodo, modum

Plurimi ex recentioribus philoſophantibus, in peſſimos errores relapſi ſunt.

Digitized by Google

imponendum censuerunt, ultra quem progredi nefas sit. Eâ itaque philosophiâ contenti esse debemus, quae excerpta ex sanioribus philosophorum dictis, conformior est doctrinae Christi, viamque haut sinuosam muniat ad sacram Theologiam; nam ut sapientissime monuit Clemens Alexandrinus, cum ait: *Philosophiam, non dico Stoicam, nec Platonicam: sed quaecunque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent justitiam cum pia scientia: hoc totum selectum dico philosophiam.*

Ea philosophia melior, quae doctrinae Christi est conformior.

Ceterum non leve laboris compendium quis fecerit, si Sac. Scripturae studium auspicetur, initio ducto à Sâlmerone, vel Estio, qui selectiora veterum Patrum in suis commentariis, summa cum studiosorum utilitate, congessêre.

Verumenimvero praeter Sacram Scripturam, de qua mox locuti sumus adest, Divina Traditio, quae parem habet cum illa auctoritatem: *Prospiciens*, inquit Tridentina Synodus (1), *hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & si-*

Divina Traditio.

(1) Tridentina Synodus *sess. IV. de Canon. Script.*

Digitized by Google

& ſine ſcripto traditionibus, quae ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptae, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditae, ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentiâ ſuſcipit, & veneratur.

Quid nomine divinae Traditionis intelligatur.

Nomine igitur Traditionis intelligitur doctrina non ſcripta: *Si leges poſtulas*, inquit Tertullianus (1), *ſcripturam nullam inveniam, Traditio tibi praetenditur auctrix*. Dicitur autem doctrina, non ſcripta, non quidem, quod nullibi ſcripta ſit, reperitur enim, & in Conciliorum Canonibus, & in operibus SS. PP., ſed quia ore eſt tradita.

(1) Tertullianus *lib. de corona militis*.

Digitized by Google

Sed quoniam ut teſtis eſt Sanctus Petrus in Scripturis *quaedam ſunt difficillima*; cumque difficillimum ſit humanae Rationi viribus adſequi propriis, quaecunque dogmata vere habeantur in Scripturis, diviniſque Traditionibus, quaeve ipſis repugnent, *ne ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae*, ut Paulus ait (1), divinae Clementiae conſentaneum, humanaeque rationi neceſſarium fuit Regulam aliquam viſibilem, & infallibilem conſtitui, qua edoceamur quid reapſe Traditio ferat in doctrina Chriſti, & quid ſignificent Scripturarum verba aequivoca, aut obſcura, & difficillima; atque ſimul dogmata probet, aut improbet, quae a Sacris Literis, aliisve dogmatibus diſſonant. Ne idem nobis contingat, quod Eunucho Reginae Aethiopum, qui non intelligebat Iſaiae locum, quem legebat in ſuo curru; nam interrogatus a Philippo: *Putaſne intelligis quae legis?* Reſpondit: *Quomodo poſſum, ni-*

X. DE ROMANO PONTIFICE.

(1) Paulus ad *Epheſ. IV. XIV.*

Digitized by Google

nisi aliquis ostenderit mihi (1) ? Hanc Regulam de facto Christus constituit, qualis est Romanus Pontifex, Petri in Pontificatu successor; Caput visibile, & Princeps absolutus Ecclesiasticae Monarchiae, ut patet ex Evangelio Matthaei (2), ubi S. Petrus dicitur petra, supra quam est aedificata Christi Ecclesia, & eidem Petro data infallibilitas. Et ex Evangelio Johannis (3) data potestas est, ut sit pastor ovium Christi, inter quas vel ipsi Apostoli continentur (4). Quare Ecclesiae Romanae Antistes omnes Episcoporum gradus complectitur, ut nempe sit Episcopus in Urbe, Metropolita in Provincia Romana, Primas in Italia, Patriarcha in Occidente, & postremo Papa & Sanctus Pontifex in Ecclesia universa, cui merito pedes deosculamur, ut olim ad pedes S. Epiphanii Salaminae Episcopi populus adcedere consueverat osculi gratiâ, ut advertit S. Hieronymus epistola ad Johannem Hierosolymitanum.

Ecclesiae Romanae Antistes omnes Episcoporum gradus complectitur.

Cum

(1) Actorum *VIII.*
(2) Matthaeus *XVI.* (3) Johannes *XXI.*
(4) Can. *ita Dñs distin. XIX.* Can. *in novo pistin. XXI.*

Digitized by Google

Romanus Pontifex legitimus Petri successor.

Cum itaque Romanus Pontifex sit legitimus Petri successor in Primatu Ecclesiae, merito ab Augustino: *Fundamentum* appellatur; *supra quod aedificii Ecclesiastici altitudo consurgit* (1): *Firmamentum omnium, & saxum immobile totius Christiani Orbis compagem, molemque continens* (2): Et a Chrysostomo: *Columna incorrupta Ecclesiarum, Fidei basis* (3): A Bernardo: *Pastor unus ovium, & Pastorum omnium* (4): Et demum, ut tetteros praeteream, a S. Athanasio & Episcopis Aegyptiis ad Felicem Papam: *Firmamentum a Deo fixum, & immobile; Praesul Apostolicus in summitate Arcis constitutus, cui Deus omnium Ecclesiarum curam habere praecepit.*

Verum ex Scriptura Sacra, ex consensu totius Ecclesiae, sive divina Traditione, de quibus mox locuti sumus, quae nihil aliud est, quam

(1) Augustinus *serm.XV. de Sanctis.*
(2) Itidem *serm.XVI.*
(3) Chrysostomus *homil.II. in Ps.L.*
(4) Bernardus *lib.II. de consider. cap.VIII.*

Digitized by Google

quam Fidei, vel morum doctrina non ſcripto, ſed viva voce de aure ad aurem per ſucceſſionem tradita, veluti ex duobus fontibus, aquae ſapientiae ſalutaris, robuſta Dei, rerumque divinarum ſcientia apud nos divinitus emanavit, quae bifariam etiam conſideratur, & vel Dogmatica, ſive Poſitiva, quia per poſita principia nempe per ipſas Sacras Scripturas, & divinas Traditiones, tradit, ac explicat Fidei dogmata, vel Polemica, quia pro rebus Fidei, ſive contra Gentiles, ſive contra Hebraeos, & Heterodoxos bellum indicit, nuncupatur. Ejus autem doctrinae optima methodo, quaſi rivuli affluunt aliae Theologiae, ſcilicet Aſcetica, ſeu Myſtica, quae ad perfectius vivendum ſpirituales contemplationes moderatur; Liturgica, ſive Caeremonialis, quae pro divino cultu caeremonias rite praeſcribit; Judicialis, quae dotet, qua ultione ſint depellenda, quae contra Deum directe, vel indirecte perpetrantur; & Moralis, quae veritatibus, ex

XI. DE SACRA THEOLOGIA.

Polemica.

Aſcetica.

Liturgica.

Judicialis.

Moralis.

Scri-

Digitized by Google

Scriptura expiſcatis, ad vitam Chriſtianam agendam, praecepta conſignat. Eſt enim verbum Dei, ut inquit Apoſtolus (1): *Fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, ultra quod, nemo poteſt aliud ponere*, & ſupra quod omnis Theologiae principia fundantur.

Theologia Naturalis.

Sed praeter recenſitas, aliae duae extant Theologiae, Natutalis una, Scholaſtica altera. Prima eſt, quae ſolo rationis lumine ex ipſo Naturae Codice ediſcitur, qualis eſt de Deo diſſerens Metaphyſica, quam illi habuêre Philoſophi, quorum errores, atque inſipientiam ita Apoſtolus (2) delineabat: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſi-*

(1) Apoſtolus ad *Epheſ. cap. II.*
(2) Idem *Romanor. cap. I. XXI.*

Digitized by Google

ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, &c.

Altera utpote ad artem ſyllogiſticam adcommodata, & in Scholis jamdiu uſurpata, Scholaſtica dicta eſt; cum enim Haeretici Religionem Chriſtianam argumentis Ethnicorum philoſophorum laceſſerent, antiquos Eccleſiae Patres coëgerunt philoſophiam jam pene dimiſſam ad ſe revocare; ut philoſophicas rationes auctoritati divinae minime obtemperantes, philoſophico etiam acumine proſternerent, & redarguerent. Eccleſia vero, cui quo plures eruperant adverſarii, eo doctiores, acrioreſque vindices divina Providentia mittebat, decreta ſua ſingulis erroribus oppoſuit: quibus decretis pro errorum numero multiplicatis, & in artem digeſtis, condita eſt antiqua Eccleſiae Scholaſtica Theologica, quam omnium primus recto ordine comprehendit Johannes Damaſcenus, ut teſtatur P. Annatus, quem deinde imitati ſunt Petrus Lombardus, & ceteri Doctores ſcholaſtici, qui inde

Theologia Scholaſtica.

Digitized by Google

de eundem Petrum Lombardum singulari quadam venerationis excellentiâ Magistrum sententiarum appellarunt. Petrus enim Lombardus, ut Christi Religionem e disputationibus, quibus pene mergi videbatur, erueret, celeberrimum illud edidit sententiarum Codicem, in quem veterum Patrum decreta, & definitiones retulit, resectis Scholasticarum disputationum ambagibus; in cujus Theologiae compendium, ut advertit Sixtus Senensis, innumerabilia disputationum volumina, eruditissimi clarissimarum toto Orbe Christiano Academiarum Theologi, elaborarunt.

Cur Theologiae philosophia jugata?

Sed haec Theologia, cui scholastici Aristoteleam philosophiam, ut nempe eadem arma, seu ejusdem philosophiae tela, quibus tunc temporis Haeretici Christianam Religionem confodere, & prosternere, si tantum impietas potuisset, audacissime sunt conati, in eosdem prosternendos feliciter retorquerent, adcommodarunt, ad usque Concilii Tridentini tempora, sola quodammodo

Digitized by Google

do in Scholis regnare visa est. Sed tandem cum praestantibus ingenio viris, aliarum facultatum praesidio destituta, haut satis idonea visa fuerit pro exterminandis, atque retundendis penitus haereseon monstris; rejectis humanae rationis argutiis, ac sophisticae philosophiae technis, solidiorem & robustiorem ex Sacra Scriptura, & consensu totius Ecclesiae, seu divina Traditione, veluti ex propriis salutaris doctrinae fontibus, non sine tamen solidioris Philosophiae, ac Dialecticae subsidio, eruendam curarunt, quae utpote tradens, & ministrans per positiva principia; nempe per ipsas Sacras Scripturas, ac divinas Traditiones, Fidei dogmata, quibus omnium Romanae Fidei hostium vim omnem, & conatum solide, ac penitus retundere, repellereque valeamus, Dogmatica, sive Positiva dicta est; ut jam praefati sumus; quamquam, ut verum fatear, & ipsa scholastica Theologia positiva dicenda est: utpote quae, si se intra justos limites cohibeat, etiam po- *Theologia Dogmatica.*

Digitized by Google

positis principiis innititur, atque ex iis sobrie suas deducit Theses.

Salmeronis de Scholasticae Theologiae studio judicium.

Sed ut hac de re justum proferatur judicium, libet hîc adnectere Alfonsi Salmeronis (1) Canonem, rem omnem mirifice, & ad veritatis amussim explanantem: *Scholasticae Theologiae studium, in quo brevi compendio, ac certa methodo multarum rerum, quae tum in Scripturarum studio, tum in doctrina, & lectione veterum Patrum latissime & firmissime pertractantur, veritates adsequimur, non est hominis Catholici respuere. Nam contemnere Haereticii est, & prorsus de Ecclesia Catholica malemeriti, quae hoc genus Theologiae multis modis amplexata est. Cum autem hoc genus Theologiae commendo, nolim ut quisquam in illis studiis consenescat, sed moderatum, & certum tempus illis disputationibus impendat, ut ad meliora, & suaviora sacrarum Literarum studia tempestive perveniat. Quidam enim ita illis studiis immodice haerent, ut*

(1) Salmeron *Tom. I. Prolegom. IX. Quinquagena I. Qu. XV. Comm. in Evangelia.*

Digitized by Google

ut ad meditandas Scripturas, & tarde adeedant, & avidi prorsus, & jejuni inveniantur. Ita Salmeron in Tridentino Concilio, summi totius Ecclesiae Praesulis, insignis Theologus.

Pro Scholastica Theologia S. Thom. prae ceteris eligendus.

Sed cum prae ceteris sanctitate, & doctrinâ praestantissimis viris hoc institutum jam olim religiose excoluisset S. Thomas Aquinas in suis Commentariis, nullum sane meliorem invenies, quam ipsum oraculum sapientiae divinae, Doctoremque, quem non modo communis omnium admiratio, sed suâmet Christus voce, fidum, ac certum in Ecclesia praeceptorem constituit omnis aevi. Cui studio, non leve sui laboris consequetur impendium, si perpetuam divinorum Codicum, & SS. PP., atque Conciliorum lectionem adjunxerit, quique simul ex praeclarissima Societatis Jesu Familia, praestantissimum adierit Petavium, vel Sirmondum, is sane plurimum sibi in Sacra Theologia consulerit.

Ceterum postquam auspicatus quis fuerit sacrae Theologiae studium, perutilis, & necessaria ei es-

Digitized by Google

se videtur sive profanae, sive Ecclesiasticae Historiae cognitio, ex qua memoriam temporum hauriat antiquorum: *Quicquid igitur*, inquit Augustinus (1), *de ordine temporum transactorum indicat ea, quae appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos Libros intelligendos, etiamsi praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur*. Cui adjungas oportet uberiora Chronologiae, atque Geographiae compendia; in quibus usui esse possunt, & Clueriana introductio, quam recens habuimus auctiorem, & relati eruditissimi Petavii Rationarium temporum cum ejusdem tabulis Chronologicis, ac Bossueti Episcopi Maldensium de universa Historia dissertatio; quae non modo brevem, atque perspicuam continet memoriam temporum, verum etiam vivis coloribus exprimit Religionis nostrae veritatem, omnium seculorum auctoritate comprobatam.

Historiae cognitio Theologo pernecessaria.

Sed

(1) Augustinus *lib. II. de doctrina Christiana cap. XXVIII.*

Digitized by Google

Sed nec ſolum nos adjuvat antiquitatis cognitio ad ſanctos Libros intelligendos, verum etiam adprime neceſſaria eſt ad oſtendendam Religionis veritatem, atque Gentilium falſitatem detegendam, quod ſane olim a tot Eccleſiae Patribus, & praecipue a Clemente Alexandrino praeſtitum eſſe legimus, qui eorundem Gentilium, Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, quos ipſe exacte lectitaverat, teſtimoniis comprobavit, quod & nuper praeſtitit eruditiſſimus, ac undequaque vir doctiſſimus Petrus Daniel Huetius in edito Demonſtrationis Evangelicae Commentario. Quare jure conqueritur literarum Antiſtes Bernardus Laminaeus, quod ex ignorantia antiquitatis in Eccleſiaſticis praeteritorum ſeculorum, Eccleſia Dei tot fuerit conflictata malis, ut merito Oecumenicae Tridentinae Synodi Patres enixe in primo Reformationis decreto hortati fuerint Eccleſiae Praeſules, ut eâ imbuerentur doctrinâ, quae ad regendum Chriſti gregem, neceſſaria videbatur.

Antiquitatis cognitio perutilis vel ad detegendam Gentilium Religionis falſitatem.

Digitized by Google

Ceterum ex Historia sacra, quam praecipue ex Canonicis Scripturis, Conciliis, & Patrum testimoniis discimus, divinae Traditionis pendet cognitio; enimvero Ecclesia Christi non minus est antiqua, quam ipse Mundus. Ubi primum Adamus post peccatum justificatus est, coepit Religio Christiana, nempe ab eo tempore nulli hominum contigit justificatio, nisi per fidem saltem implicitam, in Christum mediatorem: Fides enim in Mediatorem est character Christianae Religioni essentialis. Unde, ut divinarum Traditionum existentiam asseramus, oportet, ut expendamus an a Mundi exordio ad haec usque tempora extiterint; quod sane praestari minime potest, nisi ad constantem tot seculorum Historiam accedamus.

Ecclesia Christi non minus antiqua, quã ipse Mundus.

De Dogmatica Theologia, Ascetica, Liturgica, Naturali, atque Scholastica, ea quae diximus praelibasse sit satis; de Judiciali vero, ac Morali, aliqua attingere, nostrâ refert.

Theologia judicialis.

Judicialis Theologia, quâ per con-

Digitized by Google

contemplationem ad Juſtitiam erudimur, quaeque tota ad dilectionem Dei traducenda eſt, per manus Apoſtolorum, Sanctorumque primitivae Eccleſiae Epiſcoporum, nobis Canonicam Juriſprudentiam peperit; nemo enim inficias iverit, quin Juris Canonici origo ab ipſis Apoſtolis emanaverit, qui primum regulas quaſdam pro Eccleſiae politia, & regimine, Animarumque ſalute tradiderunt; Eccleſiae enim primordiis, conſuetudine ab Apoſtolis introducta, & ab Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis ſolicite conſervata, Chriſtianorum ſocietas regebatur; quae conſuetudo nomine Traditionis ſignificatur ab Apoſtolo Paulo (1) dicente: *State, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Hae deinde Apoſtolicae Traditiones, ne progreſſu temporis, aut hominum incuriâ deperirent, in unum collectae, & in ſcripturam redactae ſunt; ut fertur, a Clemente Papa, &

Juris Canonici origo.

Apoſtolicae Traditiones in unũ collectae.

(1) Paulus Apoſtolus II. ad Theſſal. II.

Digitized by Google

Martyre, sub nomine Apostolicarum Constitutionum, & Canonum Apostolorum, quales supersunt numero quatuor & octoginta; Ecclesia enim in primis tribus seculis, utpote in quibus:

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte suâ, sine lege fidem, rectumque colebat.

non multas habuit leges scriptas, praeter libros novi, veterisque Testamenti; Charitas namque quae tunc inter Christianos vigebat, lites fere omnes arcebat, & si quae fortasse oriebantur auctoritate Sanctorum Episcoporum componebantur. Nihil enim gravius quam fidem fallere, nihilque tam congruum esse fidei humanae existimabant priscorum illi seculorum viri, quam pacta servare, est enim fides rerum humanarum coagulum, sanctissimumque humani pectoris bonum. Unde Silius Italicus:

Fides humana quid?

Ante Jovem genetrata, decus divumque hominumque,

Qua

Digitized by Google

Qua ſine non tellus pacem, non aequora norunt:
Juſtitiae concors, tacitumque in pectore Numen.

Sed creſcente hominum malitiâ, Epiſcopi, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, & quorum, ut diximus, auctoritate lites omnes componebantur, ad dirimendas majores controverſias, ex pluribus Civitatibus in unum conveniebant, eorumque conſeſſus dicebatur Concilium, ſeu Synodus.

XII. DE CONCILIORUM ORIGINE.

Primum ab Apoſtolis celebratum creditur Hieroſolymis pro eligendo Matthia loco proditoris Judae; vel ut alii cenſent, pro definienda Antiochiae ſuborta quaeſtione de circumciſione, legalibuſque ſervandis, in quo Concilio cum praeſediſſet Petrus tamquam caput, determinatum eſt, legalia Moſaicae legis jam ceſſaſſe, ut habetur in Actibus Apoſtolorum (1). Sed poſt obitum Apoſtolorum, primum Oecumenicum in Eccleſia fuit Nicaenum

Nicaenum.

(1) Act. Apoſt. cap. XV.

Digitized by Google

celebratum in Urbe Nicaea Bithyniae, cui Concilio causſam dedit haereſis Ariana, temporibus Conſtantini Magni, ſub Silveſtro Romano Pontifice, in eo praeſidentibus ejus legatis Oſio, Victore, & Vincentio, convenerunt trecenti octodecim Epiſcopi doctrinâ, ſanctitate, & religione inſignes, inter quos fuit Nicolaus Mirhae Epiſcopus, Spiridion Cyprius, & Paphnutius ex ſuperiore Thebaide, aliique multi, vitâ, & miraculis clari; quorum communi ſuffragio, cum Arîo, & Arianis, Ariana damnatur haereſis, & Dei filius, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ὁμοούσιος, hoc eſt, conſubſtantialis Patri conclamatur. Interfuit, & huic Generali Concilio Alexander Epiſcopus Alexandriae, quem comitatus eſt Athanaſius ejuſdem Eccleſiae tunc temporis Diaconus. Tales denique aderant, quos, ut dicit Theodoretus: *Apoſtolica magnopere commendabant*; multi etiam, *qui ſtigmata Domini Jeſu*, ut divinus ait Apoſtolus, *in corpore geſtabant*;

Ariana haereſis damnata.

Digitized by Google

ſtabant ; & ut Marius Victorinus Afer inquit: *Eccleſiae totius lumina erant* . Aderat vel ipſe Arius, ſicut & Satan etiam adfuit inter filios Dei in Concilio Angelorum.

Conciliorum autem quadruplex numeratur diſcrimen , inter quae primum auctoritatis locum obtinent Oecumenica, ſeu generalia, in quae univerſa diverſis ex nationibus confluit Eccleſia. Horum convocatio, ſicut & legum ferendarum poteſtas in univerſo Orbe , ad Romanum Hierarcham, Petri ſucceſſorem pertinet, cujus nempe ſolicitudini, & poteſtati Chriſtus Dominus ſupremus Paſtor univerſum ovile commiſit, quod nedum palam fit Concilii Florentini definitione, ſed etiam Evangeliſtarum locupletiſſimis teſtimoniis , & comprobatur ratione, quoniam Eccleſia a Chriſto conſtituta eſt ſub regimine perfectae Monarchiae, cujus caput conſtituit Petrum, cum dixit: *Paſce oves meas* ; nam paſcendi verbum adaptatur Regibus, qui in veteri Teſtamento ſaepe dicuntur *Paſtores Populorum*, ut

Quadruplex Conciliorũ diſcrimen.

Oecumenici convocandi Concilii, ſicut & legum ferendarũ poteſtas in univerſo Orbe, ad Romanũ ſpectat Pontificem.

Digitized by Google

ut etiam accipiuntur apud Homerum ; cum ergo nequeat esse Monarchia sine potestate leges condendi, asserendum est id jus esse in Romano Pontifice. Quod sane haut obscure eruitur ex eo, nempe, quia Evangelicae legis praecepta, quae Christus Dominus verbo tradidit (nusquam enim legitur quidquam literis consignasse, nisi cum ad exprobandum inerauditum Pharisaeorum zelum, coram muliere adultera *digito scribebat in terra*, ut discimus ex Evangelio Johannis (1)) ad Moralia, & Caeremonialia tantum pertinent, non vero ad Judicialia; nam quamquam Rex Regum, & Dominus Dominantium, numquam tamen temporale regnum administravit, ut ipse ad Pilatum respondit (2) : *Regnum meum non est de hoc mundo*. Hac de causa Judicialia praecepta non tradidit in lege nova, licet aliter fuerit in veteri; sed solum posuit Ecclesiam suam

Christus Dns nusquam aliquid literis consignavit, nisi cum exprobanda erat pharisaica calliditas.

(1) Johannis *cap. VIII.*
(2) Iidem *XVIII.*

Digitized by Google

ſuam, cui praecepta Moralia, & Caeremonialia ſunt ſatis. Verum quia ſuae Eccleſiae Petro, ejuſque in Pontificatu ſucceſſoribus contulit Principatum, neceſſe fuit eis pro illius regimine legum ferendarum tradere poteſtatem (1).

Concilium Nationale.

Secundum dignitatis gradum Nationalia Concilia ſibi vindicant, ad quae diverſarum Provinciarum Epiſcopi conveniunt. Tertium gradum tenent Provincialia, ad quae convocantur ſuffraganei circumvicini ſub uno Metropolitano, Epiſcopi. Quartum Dioeceſanae Synodi ſub uno tantum Epiſcopo, quibus intereſſe debet totus Clerus Dioeceſanus. Prioribus ſeculis Concilia rariora fuerunt propter infidelium perſecutiones, frequentiora vero facta ſunt poſtquam Conſtantinus Magnus pacem donavit Eccleſiae; eo enim imperante, plurima Concilia celebrata fuiſſe, hiſtoriae teſtantur.

Provinciale Concilium.

Dioeceſanum Concilium.

Cauſsae celebrandi Concilia Oecumenica.

Cauſſae autem celebrandi Concilia Oecumenica, ſunt vel haereſis

(1) *Cap. ſolitae, de major. & cap. I. de conſtit.*

Digitized by Google

sis de novo emergens, nunquam antea judicata, vel schisma ortum in electione Pontificis, vel pro reformatione abusuum, qui in Ecclesiam Dei irrepserunt; effrenata enim hominum calliditas, nisi freno Ecclesiasticae disciplinae contineatur, in praeceps ruit, vorat, & corrumpit ceterorum innocentiam.

Primum Constantinopolitanum Concilium.

Sic inter cetera Concilia Oecumenica, congregatum fuit Constantinopolitanum primum sub Damaso I. Romano Pontifice, pro Spiritus Sancti divinitate, contra Macedonium, & Macedonianos, adstruenda.

Ephesinum.

Ephesinum, sub Coelestino I. Romano Pontifice Ephesi, quae est minoris Asiae Metropolis coactum, adversus Nestorium, qui novo, & pernicioso dogmate Mariam Virginem negavit esse θεοτόκον, cui Nestorio se constanter Cyrillus opposuit Alexandrinus Patriarcha, qui praecipuum fidelium omnium, maxime vero Episcoporum officium esse ducens, Fidei periclitanti suppetias ferre, scriptis primum amantissimis literis, cum de sententia pra-

ve

Digitized by Google

ve concepta dimovere non poſſet; in coacto plurium Epiſcoporum Concilio, Neſtorii error damnatus eſt. Calchedonenſe ſub S. Leone Magno, contra Euntychen, & Dioſcorum, pro duabus in Chriſto naturis. Conſtantienſe ſub Johanne XXIII. pro tollendo prorſus, non extincto ſchiſmate trium Pontificum, damnandiſque tunc graſſantibus Wicleffitarum, & Huſſitarum haereſibus. Florentinum ſub Eugenio IV. pro damnandis Graecorum erroribus, & uniendis iiſdem cum Eccleſia Latina Graecis. Tridentinum ſub Paulo III., Julio III., & Pio IV. Romanis Pontificibus, ad damnandas Lutheri, Calvini, ac ſequacium Novatorum haereſes; reformandoſque Cleri, & Populi mores. Ubi vides, ſicut cernere eſt in aliis, Concilia Oecumenica vel ad haereſes extirpandas, vel ad ſchiſma extinguendum, vel ad mores componendos, eſſe congregata. Unde non ſine operae pretio notatum velim, quod in Oecumenicis Conciliis, quae ad Fidem ſpectant Decreta, ſive Dogmata,

Calchedonenſe.

Conſtantienſe.

Florentinum.

Tridentinum.

Digitized by Google

mata, quae ad Mores, & disciplinam; Canones appellantur. Hinc de Canonibus Conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini primi, Calchedonensis Decreta, ut Sacras Scripturas, Canones ut leges esse habendos (1), sancitum est a Justiniano.

XIII. DE CANONICA JURISPRUDENTIA ROMANA.

Regulae itaque a Sanctis Patribus hactenus prolatae, Canones appellantur, quia dirigunt hominum actiones ad finem justitiae, vel Beatitudinis aeternae; Canon enim graeca vox est, & proprie significat perpendiculum, quod est supra bilancem, & facit aequilibrium, seu rectum. Hinc canonicas collectiones religiose custodiendas esse mandavit Synodus Calchedonensis (2), & ipsorum violatores blasphemos esse in Spiritum Sanctum, & gravissimo judicio dignos Damasus Papa (3) pronunciavit.

Quid Canon significet?

Ex hisce autem Regulis, seu Ca-

(1) Justinianus *Novella CXXXI. de Eccles. Can. in princip.*
(2) Synodus Calched. *Can. I.*
(3) Damasus Papa in *Concil. Constantinopolit. Can. Violatores caus. XXV. quaest. I.*

Digitized by Google

Canonibus in diversis Conciliis sparsis, necnon ex Sacris Scripturis, Sanctorum Patrum sententiis, ac Pontificum Epistolis desumtis, ante compositum juris Canonici systema, quo nunc Ecclesia Romana utitur, variae variis temporibus extitere collectiones tum apud Graecos, tum apud Latinos. Romana enim Ecclesia suum habere coepit Canonum Codicem jam inde a Julii Romani Pontificis regimine, qui subinde temporum insequentium decursu aliorum Canonum accessione succrevit ad Pontificatum usque Leonis IV, (1), qui ita inquit: *Quibus autem utimur in Ecclesiasticis Judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicaenorum, Ancyranorum, Neocaesarienſium, Gangrensium, Antiochensium, Leodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Calchedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginiensium, & cum illis Regulae Praesulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii,*

Quo tempore Ecclesia habere coepit canonum codicem?

(1) Leo IV. *Can. de libellis distin.* XX.

Digitized by Google

tii, Zosimi, Coelestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisidae, Simplicii, & Gregorii junioris. Isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur, & Clerici.

Sed celebris est illa Gratiani e Clusio Etruriae Oppido monachi Benedictini, quae inscripta est *Concordantia discordantium Canonum*, vulgo *Decretum Gratiani*, facta circa medium duodecimi seculi, sub Eugenio III. Romano Pontifice. Verum Gratiani opus non aliam habet auctoritatem, quam quae ipsis scriptoribus, ex quibus collectum est, asseritur.

Gratiani Decretum.

Sed jussu Gregorii IX. prodiit secundum Juris Canonici volumen quinque libris distributum, digestum a S. Raymundo de Pennaforti ex Familia Praedicatorum, ab ejusdem Gregorii Sacello, & Poenitentiario, nempe ex collectione epistolarum Romanorum Pontificum, earum maxime, quae emissae sunt ab anno Christi MCL. usque ad annum MCCXXX., ac innumerorum

Digitized by Google

rum reſcriptorum, quibus ſummi Romani Pontifices varias ſibi quaeſtiones, ac difficultates propoſitas ad totius Orbis Epiſcoporum conſultationes ſolvebant; adjectis Conciliorum generalium Lateranenſium tertii, & quarti, necnon quibusdam priorum Synodorum Decretis a Gratiano praetermiſſis. Ex antiquis itaque quinque Decretalium Collectionibus, quarum quatuor priores noſtri olim Antonii Auguſtini; quintam vero Innocentii Cironii curis, & laboribus debemus; & ex quibuſdam ejuſdem relati Gregorii epiſtolis conflata eſt haec Gregoriana compilatio, quam tum in Scholis, tum in Judiciis, vim legis obtinere voluit idem Pontifex epiſtolâ, quam huic operi praefixit ad Doctores, & Scholares Bononienſes. Quoniam vero S. Raymundus, haud integras antiquas in ea retulit Decretales, ſed plerumque earum dumtaxat initium, additur in illis, & *infra*, ut denotetur reciſa fuiſſe quae ſuperflua, vel certe minus neceſſaria viſa ſunt. Huic Gregoriano

Gregoriana Juris Canonici compilatio.

Digitized by Google

goriano Codici quinque libros continenti, alterum, qui ideo Sextus appellatur, in quinque minores Libros divisum, ac eâdem titulorum serie dispositum, praesertim Guillelmi Archiepiscopi Ebrodunensis, aliorumque eruditorum operâ concinnatum edidit, vimque legis habere jussit noster Bonifacius eo nomine Octavus; vir sane, & generis nobilitate, & literis, & in tuenda Pontificiae Majestate praeclarissimus; quique ex Romanis Hierarchis primus creditur, ut testatur Historia, usus duplici Coronâ: Tertiam quippe Urbanus V. addidit Coronam, cum hac Epigraphe: *Ecce duo gladii hic*.

Bonifacii compilatio.

Bonifac. VIII. primus usus duplici corona in Insula Pontificia eique tertiam addidit Urbanus V.

Codex Bonifacii continet tum emissas a Gregorio IX. post ejus compilationem, tum etiam sequentium Pontificum, & ipsius Bonifacii epistolas, ac praeterea duorum Generalium Conciliorum Lugdunensium, seu potius Pontificum, qui eis praefuerunt, nempe Innocentii IV. & Gregorii X. Constitutiones, Sacro tamen probante Concilio, in quibus sana, & robusta Jurisprudenden-

Digitized by Google

dentia, & salutaris disciplina continetur. Fuerunt enim Alexander, Innocentius, & Honorius Tertii, Gregorius IX., Innocentius IV., Bonifacius VIII., aliique Pontifices XII. & XIII. seculi magni nominis Jurisconsulti, nedum in sacris Canonibus, sed etiam in Jurisprudentia Romana, quam sua in juventute hauserant e schola Bononiensi, ubi bonarum Artium sedes, & publicum cujusque doctrinae docendae munus summa ope, ac studio a Theodosio minore, & inde a Lothario fuerat constitutum. Unde ab omne Orbe Christiano consulebantur, & pro negociis etiam temporalibus appellabatur saepe ad Sedem Apostolicam, ibique majores causae decidebantur, non solum inter Episcopos, & Abbates, sed etiam inter supremos Principes (1).

Romani Pontifices, qui in utraque Jurisprudentia praecellerunt.

Pontificii itaque Juris, sive Canonicae Jurisprudentiae, concinne antiquorum Jurisprudentum sanctioribus placitis auctae, summi

(1) *Cap. Venerabilem XXXIV. de elect.*

Digitized by Google

Romani Pontifices de ſummo Eccleſiae ſolio, ſaluberrimos latices mortalibus praebuerunt, aut reſpondendo Epiſcopis, & Principibus, Romanae Ecclaeſiae oracula petentibus, aut controverſias, cauſſasque definientes, aut Conſtitutiones Eccleſiaſticas pro re nata condentes.

Quarta Sacrorum Canonum collectio ex Concilii Viennenſis ſub Clemente V. celebrati pro extinguendis Templariis, damnandis Dulciniſtis, Beguardis, atque Beguinis, decernendoque pro Terra Sancta ſubſidio, & reformandis fidelium moribus, Decretis, atque ex quibuſdam ſuis epiſtolis, ab ipſo Clemente compilata eſt, quamquam non ipſe, ſed Johannes XXII. eam ſub Clementinarum nomine ediderit.

Clementis V. compilatio.

Idem Johannes Summus Pontifex quinctam edidit collectionem, ſuas Extravagantes continentem, quae Johannitae dicuntur, ſuntque numero viginti.

Jo: XXII. compilatio.

Sexta, & ultima Sacrorum Canonum

Digitized by Google

nonum collectio, complectitur Extravagantes communes aliorum Pontificum, ita dictae, quod extra Juris Canonici corpus vagarentur. Et en totius Juris Canonici corpus, quo Romana Ecclesia utitur in utroque foro.

In causis vero difficilioribus, & majoris momenti, praesertim articulos Fidei contingentibus, non clare in Sacra Scriptura, divina Traditione, vel in Jure Canonico adhuc definitis, Summus Pontifex consulendus est, qui eos, aut per seipsum, aut in Concilio a se convocato definit: *Majores enim Ecclesiae causas*, ut inquit Textus, *praesertim articulos Fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quaerenti Domino, quem discipuli dicerent, ipsum esse, respondisse notabit: Tu es Christus Filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorasse, ne deficeret fides ejus* (1). Quam salutaris disciplinae observantiam inculcat Pelagius.

Romanus Pontifex consulendus in causis maximi momenti.

(1) *Cap. Majores de Bapt. & ejus effectu.*

Digitized by Google

lagius Papa (1) hiſce verbis : *Majores, & difficiles quaeſtiones S. Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit ut ad Sedem Apoſtolicam ſemper referantur.* Digna ſunt, ut huc transferantur ſapienter prolata Eminentiſſimi Baronii (2) verba : *Sed ſicut*, inquit, *admiratione, ita & obſervantiâ dignum eſt conſiderare non extitiſſe hactenus Romae, qui in Scholis publicè ſacras Literas profiterentur, ut ex hoc magis intelligas puritatem Apoſtolici fontis Romae jugiter ſcaturientis, & in univerſum Orbem aquas limpidas derivantis: cum non pro arbitrio diſſerentium, verbiſque pugnantium hominum (ut fiebat a Graecis, ob idque diverſis ſemper erroribus fatigatis) ſacra dogmata Romana Eccleſia definiret: ſed quae ab Apoſtolis tradita, a majoribus deducta, a Patribus ſervata accepiſſet, haec ipſa utpote Sacroſancta univerſae Eccleſiae ſervanda, utque inviolabili*

(1) Pelagius Papa *epiſt. VIII.*
(2) Baronius ad *ann. DXXXV.*

Digitized by Google

bili lege custodienda, eadem Ecclesia Romana praescriberet; quam ceteris omnibus Orbis Ecclesiis diligentiorem fuisse Apostolicarum institutionum Custodem, cum ex Irenaeo, tum ex aliis antiquis Patribus superius abunde demonstratum est. Et Innocentius I. (1) respondens Episcopo, qui eum super variis casibus consulerat: *Mirari non possumus*, inquit, *dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatûs, referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronunciet: quod & nos libenter accepimus, & dilectionem tuam memorem Canonum approbamus.* Hinc recte admodum scribit Gelasius Papa epistola ad Honorium Dalmatiae Episcopum: *Terminos Patrum tuorum, non transgredieris; & interroga Patres tuos, & annunciabunt*

Ecclesia Romana diligentissima Constitutionum Apostolicarum custos.

(1) Innocentius Papa *epist. IV.*

tibi, Seniores tuos, & dicent tibi.

Nefas eſt propriae prudentiae inniti.

Nefas enim eſt inniti prudentiae ſuae, ſeu humanae rationi, cujus conditio eſt, propter peccatum primi Parentis, ad malum inclinare, viamque ſenſui, & concupiſcentiae faventem aperire, ac proinde in vero, honeſtoque caecutire; ex quo fit, ut quod uni verum, alteri falſum; quod uni honeſtum, alteri inhoneſtum videatur.

Verumenimvero, cum nihil ita hominis interſit, eique tam neceſsarium ſit, ut eſt cognitio finis, ſuaeque felicitatis, ad quam omnis vita, omniſque actio dirigenda ſit; ipſi tamen Philoſophi Gentiles, veluti Academici, Cyrenaici, Eliaci, Megarici, Cynici, Eroitici, Stoïci, Peripatetici, qui omne fere ſtudium ad hanc inquiſitionem contulerunt, (ut taceam reliquos plebejos Philoſophos, qui omnem felicitatem ſuſtulerunt), ignorantiae tenebris obvoluti, & excaecati a ſcopo iſto adeo infeliciter aberrarunt, ut veterum Romanorum doctiſſimus Varro, teſte Auguſtino, du-

Digitized by Google

trucentas, octoginta, & octo diversas de fine, summoque hominis bono sententias collegerit; cum tamen ex tanto sententiarum numero, non nisi unica possit esse vera, & amplectenda, ea nempe, qua Platonici cum suo Platone, & Plotino, in unione cum summo bono felicitatem locarunt. Plato enim in Phoedone, & Theaeteto inquit, summum animae bonum esse *Dei similitudinem*: nihil vero *Solis illius divini fit simile*, nisi quod aliqua luminis ipsius infusione illustratur; & proinde summum animae bonum in contemplatione Dei, sive in conjunctione ipsius mentis humanae cum divino lumine collocatum. Hinc est, quod cum Plato ideam, sive contemplationem summi boni, summique pulchri felicitatem hominis appellarit, id Aristotelem offendit, qui iccirco Platonem praeceptorem suum insectatur (1), quasi quod per ideam boni nihil aliud intellexerit Plato, quam

Ex tot sententiis de summo hominis bono, sola Platonis veritati collimat.

Aristoteles, cur Platonem fuerit insectatus?

(1) Aristotel. *lib. I. Ethicor. cap. IV.*

Digitized by Google

quam notionem boni, ut vocant transcendentis, & idealis: cum potius contemplationem boni per essentiam, sive Dei ipsius intuitum a facie ad faciem conspectum designaverit, ut toto praesertim ipsius libro sexto de Republica datur intelligi.

XIV. DE ETHICA CHRISTIANA.

Cum itaque ingenii nostri caecitas, eo major est, quo humana voluntas per peccatum corrupta, est ad malum proclivior; propterea nitendum quammaxime, ut in morum disciplina, quae tota in humanis actibus dirigendis versatur, ne tantillum quidem a Sacris Scripturis, divina Traditione, sacrisque Canonibus abimus. Quod sane cum ab ineunte decimo sexto seculo exacte observari desiverit a quibusdam hominibus Dialecticae potius, quam Canonum regulas sectantibus, & luxuriantibus ingeniis vae nimium frena relaxantibus; Ecclesiae disciplinam paulatim relaxari vidimus, quae facile perfundata fuisset, nisi Christi Servatoris Nostri nunquam sponsae suae defectura

ra adsistentia, Summi Hierarchae admoniti tantae licentiae suis Diplomatis occurrissent.

Etenim adversus hanc Opinantium garrulitatem, & corruptam Christianae Ethicae disciplinam e Sacerdotibus, omnes fere hierarchici insurrexerunt: praecipue vero eruditissimi Galliarum Parochi mirum in iis insectandis Fidei ardorem ostenderunt; nec obscure tota S. Benedicti, & S. Dominici Familia, S. Bonaventurae Sectatores, ac Congregationis Oratorii Presbyteri, quam ab isthac male opinandi methodo alieni sint, passim quamplurima eorum scripta ostenderunt. Pauci admodum hoc aevo, quibus insana libidine abreptis, aures ad novitatem pruriunt, in hoc luto haerent; quos ad istius libertatis opinandi patrocinium, summo Christianae Reipublicae malo, adhuc vires suas conferre non pudet. Hinc non aliud putandum est nos edocere velle Romanos Pontifices, dum quotidie laxarum opinionum segetem undique fruticantem resecare

Mirum Fidei ardor, quo viri praestantes adversus corrupta e Christianae Ethicae fautores insurrexerunt.

sa-

Digitized by Google

satagunt, nisi ut effrenis illa luxuriantium ingeniorum licentia, quae Christianas fruges pene corrupit, omnino eradicetur.

Interim haec paucula, quibus quamplurima dicenda superſunt, dicta velim, non ut homines adigamus ad rigidiores doctrinas, sed ut medium eligere discamus inter oppoſita extrema, quod ut plurimum virtutis, & veritatis propria est sedes; non enim ignoramus, quod sicuti noxia est laxior indulgentia, ita & immoderata in rebus conscientiae austeritas; ut non immerito cordati viri, & praecipue Catholicorum Praesules, & quicunque veram Theologiam, & eruditionem Ecclesiasticam non a limine salutarunt, ii omnes, extrema opinionum, quarum una saepe dicit malum bonum, & salvat damnandum, altera bonum malum, & damnat salvandum, quasi oppositos scopulos Scyllae, & Charybdis declinanda doceant. Discerni enim vix potest laxioris, & plus aequo rigiodioris Ethicae, utra plures in Infernum animas

Extrema opinionum non secus ac Scyllae, & Charybdis scopuli declinanda.

Digitized by Google

mas adigat. Quippe prima ſpatioſam illis aperit viam, quae Chriſto atteſtante, *ducit ad perditionem*. Secunda, utpote innixa imprudenti zelo Scribarum, & Phariſaeorum, quos non ſemel ipſemet redarguit hominum Servator Jeſus Chriſtus, qui *jugum ſuum ſuave eſſe dixit; & onus leve*; eaſdem animas urget ad aeternam damnationem duplici tramite, erroneae ſcilicet conſcientiae ob haeſitationem culpabilem, & deſperationis ex nimia difficultate. Hinc ſine prudentia, ſine ſcientia plus nocere, quam prodeſſe poteſt zelus, non privatis tantum fidelibus, ſed toti Reipublicae ipſi Chriſtianae. Quare egregie S. Bernardus (1): *Importabilis*, inquit, *abſque ſcientia eſt zelus. Ubi ergo vehemens aemulatio, ibi maxime diſcretio eſt neceſſaria, quae eſt ordinatio charitatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia minus efficax, minuſque utilis invenitur, plerumque autem, & pernicioſus valde ſentitur.*

Sine prudentia zelus, nocet plurimū.

(1) S. Bernardus *ſerm. XLIX. ſuper Cantic.*

Digitized by Google

tur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientiâ est, quae zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.

Quid Christiana Respublica passa sit ex quorundâ inerudito zelo?

Et quid quaeso non fecit ineruditus zelus? Ex nimium pertinaci zelo ad aequo rigidiorem disciplinam, permultas haereses ortum duxisse constat, quales fuêre Encratitarum, Montaniſtarum, Cataphrygum, qui pro suis ultra modum rigidis observationibus immane bellum Ecclesiae indixerunt. Hinc Novatus eâdem tetrici spiritus rigiditate, subduxit veniam semel lapsis, ut tolleret poenitentiam. Hinc Manichaeus, ut Deum liberaret a conditione malorum, alterum mali induxit auctorem. Hinc Tertullianus praecellentis ingenii scriptor ob tetricum, & superbum spiritum, insulsissimi Montani factus discipulus, secundas nuptias pari cum stupris condamnatione criminatus fuit. Hinc Lucifer Calaritanus Episcopus nimiâ inflexi animi severitate, perni-

Digitized by Google

nicioſum, diuturnumque ſchiſma Antiochiae exſuſcitavit in odium Meletii laudatiſſimi Epiſcopi. Quare non minus diligenter perſpiciamus oportet, quid juris, & libertatis futurum ſit ingeniis noſtris in tanti momenti rebus, quam quid freni; *Utrinque veritati nocere poſſumus*, ſcite admodum inquit Ludovicus Muratorius (1), *vel nimium, vel nimis parum nobis tribuendo. Quo doctiores erimus, magiſque in Dogmatica, ac Polemica Theologia, atque in eruditione antiqua verſati, eo cautius ac moderatius in ſtudiis, ac opinionibus noſtris procedamus. Ignorantia hinc, inde ſuperbia, ſuperſtitioſos pariter, ac temerarios faciunt. Mediae ſtant ſcientia, & humilitas Chriſtiana. Faciunt iſtae eruditos, atque Theologos, vere perfectos, ac religioſos.* Sapienter itaque in ſuis Diſtichiis admonet S. Gregorius Nazianzenus:

Cautius in ſtudiis, ac opinionibus procedendum.

Mu

(1) Ludovicus Muratorius *lib. II. cap. VIII. de ingenior. moderat. in Religion. negot.*

Digitized by Google

Μὴ δικαιοσύνῃ τιν' ἀκάμπτῳ μή τε φρόνησιν
Λ' ξυλοθέσασαν ἔχειν. μέτρον ἄριστον ἅπαν.

Noli justitiae rigidae, & inflexili, neque prudentiae versabili addictus esse. Optima est in omnibus moderatio. Quippe:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nescit consistere rectum.

Illud itaque certum est, nos numquam ex temeritate aberraturos, si longe abjectis turbulentis rerum terrenarum affectibus, toti fuerimus sincerae veritatis amantes, atque in ejus contemplatione tanquam in beatissimis Elysiis consistamus. Vix enim negare possumus, ut vel ex Seneca, & Cicerone discimus, quin humana Ratio semina quaedam contineat veri, & boni insita ab ipsa natura, quippe, & nullo docente, pueri sua se sentire male facta, pudore testantur, & dolent se fuisse deceptos. Sed eleganter exprimit Lactan-

Humana ratio semina quaedam veri, & boni continet ab ipsa natura, insita.

Digitized by Google

Lactantius (1), cum ait: *Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam: ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere.* Unde merito Socrates apud Platonem in Theaeteto obſtetricis officium agere ſe ajebat: quia Magiſtri, veri bonique ideas, ſeu ut locuntur PP. notiones, nobis non ſufficiunt; ſed mentem ſuis conceptibus naturâ quodammodo gravidam, velut *obſtetricante manu*, ad parturiendum dumtaxat adjuvant. Deprehenduntur itaque, dilucideque hujuſmodi ſemina nobis apparent, cum attenta meditatio excutit penetralia Rationis, & cum optimorum librorum, eorumque hominum conſuetudine utimur, qui iſtas veri, bonique notiones, jam ſibi perſpectas in nobis excitant latentes. Et quoniam nuſquam tuta veritas, niſi in ipſa veritate, excitatis in homine iſtis boni, verique ſeminibus proderit plurimum ducem adhibuiſſe fidum, ſacram nempe Scripturam, divinamque Traditionem, quae ſunt

Quae humana ratio continet veri, bonique ſemina, quomodo deprehendatur?

(Dd) pri-

(1) Lactantius *lib. II. divin. inſtit. cap. VIII.*

Digitized by Google

primus Canon, & veritatis promtuarium, Eccleſiaſticam hiſtoriam, Auctoreſque probatae fidei, ſinceraeque doctrinae.

Sed in aliqua literaria palaeſtra ſe oportet exercere, foriſque emittere licebit, quae animo concepimus, ut ſcilicet & menti tenaciter inhaereant, & ſi opus ſit corrigantur, quare plurimum probavimus, imo & demirati ſumus hebdomadarias, in omni doctrinarum genere exercitationes, quas agitant Neapoli, & praeſertim Viri quamplurimi eruditiſſimi, & undequaque docti, promovente Joſepho Rufo, viro ſane, & genere & literis clariſſimo.

Chriſtiani hominis eſt, quam ſibi veritatis lucem comparavit, reliquis velle.

Ceterum illud coronidis loco monitum velim, quod cum omnium ſapientium conſenſu exploratum ſit Chriſtiani hominis eſſe alios efficere meliores, & ſapientiores cum poſſit, lucem veritatis, quam ſibi quiſpiam comparavit, utpote divinum patrimonium, reliquis cum laude non exigua partiri debet. Quippe neque ut in terrenis opibus diſtribuendis, atque elargiendis uſu-

ve-

Digitized by Google

venit, quiſquam fit minus quam antea dives, communicatâ ceteris hominibus veritate, quin animus ditior inde potius evadat, & uberiori foenore ſuccreſcat charitatis fructus. Quare haut temere rati ſumus nuſquam & operam, & oleum huic noſtrae Philologiae demtum iri ab aequis rerum aeſtimatoribus. Quod ſi in ea fortaſſe comperies nos fumum quandoque potius ex fulgore, quam ex fumo lucem dediſſe; memineris:

Quod neque chorda ſonum reddit,
quem vult manus, & mens,
Poſcentique gravem perſaepe mittit acutum;
Nec ſemper feriet, quodcunque minabitur arcus.

Sed ne ingrati animi arguamur, quod vitium ab omni hominum commercio, tanquam ſocietatis peſtem, & horrendas Plutonis domus fauces execrati ſumus, plurimum me debere fateor viro ſane undequaque doctiſſimo Julio Nicolao Torno, qui auctoritate ſui Eminentiſſimi Principis, Opuſculum hoc meum eruditiſſimo zelo lectitavit, & uti par

Auctoris officium.

Digitized by Google

erat emendavit. Accipias ergo ſtudioſa Juventus hoſce labores meos, ab iis, quorum in lucem edi plurimi intereſſe debuerat, aerumnis conflictatos, quos ſane labores Excellentiſſimi Principis NICOLAI CAJETANI ARAGONII erga me humanitas, & benevolentia, & invidia tibi peperit aemulorum, qui ſane adeo ſtudia noſtra exacuerunt, ut ſi tempus, & facultas dabitur, ſolidiora conari non diffitebimur. Hinc cum eis gratias habemus maximas, ipſum me eſſe noſcitent, cui ingenium ita obſirmatum eſt, ut cum placere maxime ſtudeam bonis, aliorum offenſionem nihili pendo; nec vel iratis dîs, iis diſplicere refugiam; quorum aura, judiciumque non tanti emitur. Ad DEI Opt. Max. gloriam, ejuſque GENITRICIS, quam ſi ſubtiliſſimus Doctor felici acumine, ac ſolidioribus argumentis immunem prorſus oſtendit ab omni labe originali conceptam, nos ad uſque ſanguinis effuſionem confiteri, ac venerari paratiſſimi ſumus, ſicuti omni religionis affectu confitemur, & veneramur,

Cui Opuſculum hoc debeatur?

FINIS ESTO.

Digitized by Google

INDEX

RERUM, VERBORUM,

Scriptorumque, qui in hoc Opuſculo continentur.

A.

Abaelardus Peripateticus Haloiſsae eruditae puellae amoribus clarus, Arabicae philoſophiae praejudiciis rejectis, ad meliorem frugem evocatur a S. Bernardo. *Pagina* 14.

Academici, cur ad eloquentiam, morum diſciplinam adcommodarint. 250.

Accius Poeta, Tragoediarum ſcriptor inſignis. 92.

Adamus, & Eva cur ab ea, qua exornati fuerant rerum naturalium ſcientia, repente excideſint? 48. & 312.

Adae peccatum radix omnium malorum. 43. Inter ceterâ, mentis caligo, & caeca judicandi temeritas. 35. & 312.

Adulteria, quibus poenis coercita apud Hebraeos, aliaſque Gentium nationes. 126.

Aeneas Sylvius Latinae linguae in priſtinam reſtituendae majeſtatem celebrior. Ob egregias virtutes ad Petri ſedem evectus ſub nomine Pii II. 148.

Aetas omnis, divina ingenia, viroſque tulit eximios. 56.

Affatum in Apollinis Templi foribus inſculptum. 48.

Affectuum ciendorum artificium, unde pendeat? 262. magis viſu, quam auditu excitantur apud vulgus. 271.

Ager Allifanus haut inamatus Iacchо. 41. & 239.

Alexandri ab Alexandro haeſitatio de mente Martialis in Epigrammate in Proculinam. 73.

Allifana Urbs celeberrima ex Samnii Provincia. 6. Ejus patriciae familiae. 3. Ejus Cives una cum Pedemontanis a S. Bonaventura edocti. 239. a

Digitized by Google

sexcentis annis custos corporis S. Sixti I. Papae, & Martyris. 240.
S. Ambrosius Ecclesiae doctor, ejusque dicendi modus. 132.
Andreas Alciatus Juris Caesarei decus. 153.
Angelus Politianus praeceptor Leonis X. 150.
Anonymi insulsa epistola. 33. Alterius Anonymi lusus 80.
Annaeus Lucanus. 105. M. Annaeus Seneca. 125. L. Annaeus Seneca. 126.
Anniceridis Cyrenensis nimia industria a Platone reprehensa. 209.
Antestatio, manusve injectio, quid? 77.
Antiquitatis cognitio Theologo utilissima ad detegendam Gentilium Religionis falsitatem, nostraeque asserendam veritatem. 387.
Antonius a Palatiolo e Capuccinorum Familia Orator celeberrimus. 25.
Antonius Augustinus Allifarum Antistes, vel senex Ciceronem lectitabat. 96. Vir ad miraculum doctus, ac utriusque Jurisprudentiae illustrator. 118. & 155. Ejusque laudes speciatim recensendae in Allifanorum Episcoporum Historia. 156.
Apellis insignis prudentia. 289.
Apes imitandae. 302.
Arcesilas philosophus. 330.
Architectura Etruscorum, quid praebeat argumenti? 59.
Aristoteles Stagirita, cur Platonem fuerit insectatus. 409. Ejus philosophia diu in tenebris ab Arabibus in lucem revocata. 331. Cur Scholastica appellata? 332.
Ariana haeresis damnata in Concilio Nicaeno. 392.
Ars sophistica, haereticorum impugnandae veritatis scutum. 17.
Atrebates, & Bellovaci, quomodo Concilium convocabant? 187.
Avaritiae indoles sub Tantalo personata. 268.
Auctoris secessus suo in ruscolo levandae valetudinis causa. 5. Ejus aditio ad praestantissimos viros. 7. Conqueritur imbecillitatis suae. *Ibidem.* Quorundam audaculorum petulantiae. 32. Protestatur se unicuique redditurum cum usura literarium

INDEX.

terarium mutuum. 9. Ejusdem cum lectissimis viris consessus, ubi recitantur a praenobili adolescentulo Epigrammata duo Ludovici Paterni Poetae. 296. & seqq.

Auctores quomodo intelligendi, ut eorundem expiscemur sensa. 82.

S. Augustinus divini Platonis philosophia plenissime imbutus. 135.

M. Aurelius Cassiodorus dignitate, & literis eximius. 139.

Ausonius Imperatoris Gratiani praeceptor. 136.

B.

Barnabas Brixonius adeundus pro addiscendis solemnioribus verborum formulis, quibus jus civile est irretitum. 241.

Bembi carmen in Sanazarii tumulo juxta Villam Mergellinam in Deiparae Templo, Neapoli. 308.

Bernardus Maria e Capuccinorum familia Orator celeberrimus. 25.

Bivium paratum in omni vita. 196.

Bocacius, Florentinus Cicero appellatus. 187. Ejus Codices expurgatos adeant adolescentes. 189.

Bonifacius Octavus primus usus est duplici Corona in insula Pontificia. 402.

Brutus cur brevitatis amator, 255.

C.

Caesar plenus blanditiis, & venustate. 96.

Caecilius Cyprianus. 130.

Camillus Peregrinus senior, in Campani theatri ruinis, Musis indulgebat. 300.

Canon quid? 398.

Canonum Codicem, quo tempore Ecclesia habere coepit? 399.

Cartesius, unde suam desumpsit philosophiam. Cur individua corpuscula, & inane non admiserit? 345. *Cogito: ergo sum*, unde desumpserit? 346.

Carneades novae Academicorum doctrinae exuscitator. 330.

Digitized by Google

Caſſinenſibus plurimum debet literaria Reſpublica. 234.
Cautius procedendum in ſtudiis, & opinionibus ne in errores dilabamur incauti. 415.
C. Celſus, Svetonius Tranquillus, Quinctilianus, & Tacitus in decreſcenti linguae Latinae aetate Scriptores. 103.
Cenſores ſeveriores ſunt adeundi. 306. Quos & adiit emunctae naris Horatius. *Ibidem*.
Chriſtus Dominus nuſquam aliquid literis conſignavit, niſi cum exprobandus erat phariſaicus ineruditus zelus. 394.
Chriſtiani hominis eſt, quam ſibi veritatis lucem comparavit, reliquis velle. 418.
Cicadam ala ne corripias. 34.
Claudianus Poeta. 135.
Columnae, lapidea, & lateritia, a Joſepho deſcriptae. 49.
Columnarum uſus ad ſepulcra. 50.
Columnis Aegyptiis inſculpta eſt Doctrina Moyſis, quibus uſi ſunt Pythagoras, Plato, & alii. 52.
Columella, de Re ruſtica non ruſtice ſcripſit. 162.
Comoedia vetus. 274.
Comoedia nova. 275.
Concilium Nicaenum. 391. Conſtantinopolitanum primum. 396. Epheſinum. *Ibid.* Calchedonenſe. 397. Conſtantienſe. *Ibid.* Florentinum. *Ibid.* Tridentinum. *Ibid.*
Conciliorum diſcrimen quadruplex. 393.
Concilii Oecumenici convocandi, legumque ferendarum poteſtas ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat. *Ibid.*
Concilia Oecumenica celebrandi cauſae, quae? 395.
Convicium, convicio propulſare licebit Jure Civili, ſed non lege Jeſu Chriſti. 33.
Conſilium praeſtantium ingenio virorum ſemper utile. 47.
Confucius Pythagorae coaevus. 56. Ejus philoſophia ad nos tranſmiſſa. 213.
Copia rerum, copiam ſuppeditat verborum. 23. & 259.
Cordati viri conſilium. 17. Ejus eſt veritatem inquirere,

Digitized by Google

quirere, falſitati ſe opponere. 26. non certare conviciis. 34.
Critica in Satyram degenerans, improbanda. 36.
Omnium artium, & ſcientiarum comes. *Ibid.*

D.

DEcemviralium Tabularum primum caput. 76.
Decemviri, legibus deſcribendis creati. 231.
Decorum ut ſervetur, quid ſervandum. 254.
Demonſtrativo in genere, quae omittenda? 289.
Deus eſt exorandus, ut mentem, manumve noſtram dirigat. 35.
Dialecticae laus. 195.
Dialecticorum tricae nullo operae pretio dignae. 201.
Diluvium quadraginta dierum. 92.
Diſceptationes variae in jure civili, unde? 86.
Doctrinae omnes Chriſtianae, Divinae Scripturae innitantur, oportet. 369.

E.

ECcleſiae Romanae auctoritas, Latinae linguae plurimum contulit firmitatis. 157.
Eccleſia Romana Conſtitutionum Apoſtolicarum Cuſtos. 407. Conflictata ſchiſmate Petri Leonis. 235.
Eccleſia Chriſti non minus antiqua, quam ipſe mundus. 388.
Edictum Lotharii Imperatoris pro Romano Jure evulgando. 237.
Eloquentes evadimus ſi nos inter & eloquentes conſuetudo intercedat. 24.
Eloquentia, quid? 250. ne dum natura, ſed arte comparatur. 22. Tota ejus vis in affectibus ciendis. 260.
Elocutio a Poetis profecta ad Oratores. 173. Eorum elocutionis diſcrimen. *Ibid.*
Elegantiae partes Latinae linguae, tres. 88.
Emancipatus, quid? 83.
Q. Ennius Poeta. 91.
Epiſtola Johannis XXII. ad Lectores Pariſienſes ad coercendam in quaeſtionibus Theologorum licentiam

Digitized by Google

centiam. 334.
Epictetus. 126. Quanti fuerit apud Antoninum Pium Imperatorem. *Ibid.*
Epiſcoporum vita qualis eſſe debet? 133. Eorum munus praecipuum praedicatio Evangelii. 351. Eorum exemplar ab Apoſtolo expreſſum. 352. Unde vires ſibi parare debent, ut muneri ſuo correſpondeant? *Ibid.*
Epicharmi ſententia. 180.
Epicurus Athenienſis. 328. Ejus fama foeda labe aſperſa. 329.
Epopoeja quid? Et quis ejus ſcopus. 273.
Erictheus, & Cecrops ex Aegypto in Graeciam adtulerunt mores patrios. 218.
Errorum cauſa, quae? 191.
Eruditorum cenſura de Carteſii philoſophia. 344.
Eruditio diſciplinarum liberalium modeſta ſit, ac ſuccincta. 39.
Ethicae Chriſtianae corruptae fautores a viris zelo praeditis impugnati. 411.
Euclidis ardor, ut Socratis conſiliorum fieret particeps. 319.
Exemplum horrendum de Serli diſcipulo. 14.
Exilium, & relegatio quid? eorumque diſcrimen. 176.
Extrema opinionum in Theologia praecipue non ſecus, ac Scyllae, & Charybdis ſcopuli declinanda. 412.

F.

FAcilitas intelligendi alicujus auctoris, unde? 165.
Felicitas ſapientis. 29.
Felicitas aeterna per Fidem. 215.
Fidei, & Sacris Literis cedere debent omnium artium documenta. 340.
Fides humana quid? 390.
Fortunatus Palumbus laudatur. 7.
Franciſcus Apicius laudatur. *Ibidem*, & 295.
Franciſcus Maria Pratillius laudatur. 7.
Franciſcus Baconus diligentiſſimus in ſcientiis promovendis. 46.
Franciſcus Petrarcha Latinae linguae pene ſepultae

Digitized by Google

tae reſtitutor, & vindex egregius. 144. Ob egregiam Latini carminis laudem, laurea corona inſignitus. 146.
Furiarum horrendarum imagines, cur a Poetis excogitatae? 268.

G.

GAlilaeus. 336. Tubi optici inventor, necnon & Stellarum, quas Medicaeas appellat. 337. Ejus abjuratio coram Quaeſitoribus Fidei pro exuſcitata opinione de motu telluris circa Solem, quem fecit immobilem contra germanum Divinae Scripturae ſenſum. 338.
Geometriae ſtudium emendandae menti ſatis congruum. 210.
Genus carminis illud eligendum, ad quod natura impellimur. 304.
Gloria Literatorum, invidia aliena. 10.
Grammaticorum exoſa conſtructio. 66. Eorumdem explicatio in Epigrammate Martialis in Proculinam. 72.
Graecia olim magiſtra omnium pene nationum. 91.
Graecae linguae utilitas, ac neceſſitas. 158. Ejus gratia, & venuſtas. 181.
Graeci prae ceteris in philoſophiam incubuere. 313.
Graecorum philoſophorum ſectae. *Ibidem.*
Gregorius Gyraldus. 152.
Gulielmus Budaeus Civilis ſapientiae Magiſter. *Ibidem.*
Gulielmus Okamus Scoti diſcipulus. 334.

H.

HAereticus vix ullus fuit, qui alicui philoſophorum ſectae errores ſuos non debeat. 372.
Hebraei poeticae artis inventores. 46.
Hebraicae linguae peritia laudanda. 159.
Herennius Modeſtinus. 130.
Hermolaus Barbarus. 149.
Heroinae quamplurimae in Etruſca poeſi celeberrimae. 163.

Digitized by Google

INDEX.

S. Hieronymus. 134. Veluti Spiritu Sancto afflatus omnium loquebatur linguis. *Ibidem*.
Hieronymus Fracastorius. 152.
S. Hilarius Aquitanus. 131. Primus Latinorum, qui in Arianos invexit. *Ibid.*
Historiae cognitio Theologo necessaria. 386.
Homo finitus, ideoque finitum omne, quod ipsi scire datur, & imperfectum. 46.
Hominum magna pars nil judicat se posse concipere, quod nequeat imaginari, quare? 271.
Hominum solertia in humanis rebus agendis. 356.
Homerus suis Poematis, melius, quam philosophi, honestum docuit. 279.
Q. Horatius. 97. Ejus locus illustratur. 41. Se poetam dici non substinuit. 305.
Humana ratio semina quaedam veri, & boni continet ab ipsa natura insita. 416. Quomodo nobis ista semina appareant? 417.
Hypocritarum iniquitas. 192.

I.

Jacobus Sanazarius. 150.
Jacobus Sadoletus. 151.
Ignorantia mater admirationis. 44.
Ignorantia nostra a Sacris Literis erudienda. 347.
Imperatorum constitutiones, & Prudentum responsa. 232.
Incommodum Dialecticorum in cudendis vocibus. 85.
Incommodum ex neglectu proprietatis vocum, & phrasium. 168.
Incommodum duplex ex multiplicitate praeceptorum. 199.
Incommodum maximum in studiis, quale? 249. alia duo in adolescentibus. *Ibid.*
Ingenuus, quis? 84.
Ingenium a natura suum unicuique inditum. 392.
Inania, quae semel altas fixerunt radices, haut facile eradicantur. 15. non minus quae a teneris annis didicimus. 202.
Initium Sapientiae, quale ex Platone? 350.
Insolentiae privatorum reipublicae obnoxiae. 114.
Inutilia utilius est dedicere. 202.

Jo-

Digitized by Google

INDEX.

Johannes Picus Mirandulanus. 148.
Johannes Caſa temere notatus a Criticis. 290.
Johannes Duns Scotus. 333.
Jones, & Etruſci ſcientiarum cultores. 58.
Jovianus Pontanus. 149.
Italicae Linguae ortus, & progreſſus. 160. Ejus cultores praecipui. 162.
Judeorum regimen a Joſepho Theocratia appellatum. 57.
Judices, qui eligendi? 194.
Judicio proprio nefas eſt inniti. 468.
Judicium temerarium Phariſaei Evangelici. 192.
Julia Auguſti Caeſaris filia relegata. 124.
Julius Caeſar Scaligerus. 153.
Juriſprudentia unde emanaverit? 196.
Juris praecepta, ſeu potius naturae dictata. 224.
Juris Civilis quamplura dogmata, quae Sectam redolent Stoicam. 242.
Juris Studium Monachis vetitum. 237.
Juris Canonici compilatio a Gratiano. 140. A Gregorio IX. 401. A Bonifacio VIII. 402. A Clemente V. 404. A Johanne XXII. *Ibid.*
Juriſconſultorum elegantia laudata a Laurentio Valla. 141. Eorum volumina a tot ſeculis ſepulta, quo tempore, & qua occaſione reperta? 143.
Juriſconſulti toti ad humanae vitae regulam recte tranſigendae. 216. Eorum placita cum Dei legibus affinia. 217. Veram philoſophiam ſectati. 221.
Juriſconſultus vere quis? 244.
Jus Decemvirorum tabulis aeneis inciſum. 51.
Jus in Urbe quando conſtitutum. 231.
Jus honorarium, unde? 232.
Jus Civile a Juſtiniano in ordinem redactum. 233.
Jus Civile obſtruſis formulis irretitum. 241.
Juſtinianus avaritiae perſecutor. 116. Chriſtianae Religionis propugnator. 139.
Juſtum, & honeſtum a natura nobis inſita. 224.
Juvenalis. 106. Ejus mens de ſervi manumiſſione. 71.

In-

Digitized by Google

INDEX.

L.

LActantius Firmianus. 131.
Latina Lingua propagata, & conservata legibus. 62. Omnes pene gentes edocuit. 64. Ad omnes artes, scientiasque manuduxit. *Ibid.* Ejus genium. 67. Urbanitas. 68. Eius vita, humanae comparata. 89. Ejus infantia. 90. Rustica, & horrida Pyrrhi temporibus. *Ibid.* Ejus adolescentia. 91. Aetas virilis. 95. Senectus. 101. Senium. 125. Ejus puritas veluti depositum ab unis Jurisconsultis conservata. 140. Ejus interitus. 144. Reviviscit cum moribus, legibusque Romanis. 154. Quomodo comparetur? 163. In ea addiscenda idem est ordo, quem in vernacula, natura suppeditat. 168. Egestas ejus plurimi negotii facessit Lucretio. 186. Qui eam illustravesint? 190.
Latinitas quid? 64.
Latina locutio, & Grammatica quomodo differant? 65.
Latini, & Grammatici, quid in construendo agant? 66.
Latine recte locuntur, qui propriis Romanorum verbis utuntur concinno nexu junctis. 69.
Latina verba a quibus deligenda? 89.
Latini sermonis corruptio unde orta? 101.
Latina vocabula, latino nexu conjungenda. 171.
Latinae verborum compositiones, a quo hauriendae? 172.
Latini eloquii splendor, solidiori philosophiae ab antiquissimis Jurisconsultis conjunctus. 247.
Latinum Jovem ab Etrusco superatum. 255.
Laus propria quandoque licita. 93.
Laurentius Valla post extinctam Latinam linguam, primus in Urbe latine locutus. 189.
Legis Juliae capita. 75
Leges Juliae multiplices, non eodem tempore latae. *Ibid.*
Leges Juliae quae? 109. Julia Majestatis. 110. De vi publica. *Ibid.* De vi privata. *Ibid.* Repetundarum. *Ibid.* Peculatus. 111. De annona. 113. Agraria. 114. De ambitu. 115. Manumissionis. 117. Juliae judiciariae. *Ibid.* Julia, & Papia Poppaea

Digitized by Google

paea. 118. Julia, & Titia. 119. De adulteriis, *ibid.* Cur Julia de adulteriis locetur post Juliam Majestatis? 120.
Leges civiles quid de homicidio adulterae? 122. Cur sinant patri cum adultero necandam, & filiam? *Ibid.*
Leges Graecorum ad Urbem importatae. 223.
Leges humanae, naturales, & divinas substinent. 226.
Leges, Plebiscita, Senatus consulta, & Edicta Praetorum, quid? 232.
Leges Municipales addiscendae, & in methodum redigendae, ut instituantur Adolescentes. 243.
Legibus evidenter injustis, subditi non tenentur. 228.
Legum Judaicarum, & Romanarum collatio. 219.
Legatis latine responsa dabantur. 186.
Laelius Vendicolius laudatur. 7.
Lex Talionis, seu poena Reciproci. 229.
Libertatem violare, nefas. 4.
Lingua communis in plures divisa. 53.
Linguae cuique suus lepos. 66. Sua vetus. 184.
Logica usi sunt SS. PP. in confirmandis Theologicis veritatibus. 11. Ejus adinventor, quis? 45. Eam auxerunt novis observationibus Peripatetici, & Stoici. 45. Nova methodus ejusdem tractandae. *Ibid.*
T. Lucretius Carus. 96.
Ludovicus Paternus Poeta, concivis noster, laudatur. 162. Castae Myrtiae amoribus clarus. 5.
Lyrica, quid? 276.

M.

Machiavellus institutionibus suis, quid intenderit? 269.
Maffeus Volaterranus. 150.
Magistri sanae doctrinae, & probatae vitae sunt eligendi. 39.
Mala praecipua ex primi parentis lapsu quae? 43.
Malignorum insidiae contra auctorem. 10.
Mantuanitas objecta Virgilio. 67.
Manumissio, quid? 71.
Martialis. 107. Nulla utebatur circumlocutione. 74.

Ejus

Ejus vitium in scribendo. 108. Obscaenitatibus expurgatus a PP. Jesuitis. 109.
Martianus Capella. 137.
Marsilius Ficinus. 149.
Mazochius laudatur. 78.
Mens sana minime commutanda cum fortunae bonis. 10.
Mens expurgetur oportet ab omni opinione citra justam rationem. 326.
Mercurius Trismegistus scientiarum inventor. 53.
Minutius Felix Patrum lectissimus. 130.
Morum disciplina viguit, vel apud antiquissimos Ethnicos. 213. Suum complementum accepit a Jesu Christo. 214.
Mos Graecorum laudabilis. 39.
Mos Aegyptiorum eligendi ex Philosophis Sacerdotes, & ex Sacerdotibus Reges. 54.
Moyses fistulae pastoralis, ac musicae auctor. 272.

N.

CN. Naevius Poeta Campanus. 92. Ejus Epitaphium. 93.
Nationibus omnibus sui fuere Interpretes, & Doctores. 55.
Neapolitani Seminarii Rectores laudantur, quod nonnisi solidioribus incumbendum curent. 13.
Neapolitana Urbs praeclarissima in omni oratorum genere. 24.
Nicolai Damasceni monitum. 29.
Nicolaus Leonicenus. 148.
Nicolaus Cusanus. 335.
Nicolaus Copernicus. *Ibid.*
Nova differendi methodus a doctis viris excogitata. 303.
Novi Testamenti Idea. 361.
Novitas haut proprium laudis est argumentum, nisi recte efferatur. 31.

O.

Obscuritas unde? 165.
Obscuritates in prophanis, & sacris literis, quae? 87.

Ob-

Digitized by Google

INDEX.

Obtrectantium animi sunt praeda sapientum. 37.
Occasio dissertationis. 2.
Officia hominis bene instituti. 20.
Officium Auctoris in Patriam. 238.
Opes a Principibus, & Summis Pontificibus, summa munificentia doctis viris ministratae. 147.
Opera incoepta non succedente stylo, a quampluribus relicta. 292. & seq.
Opiniones ducentae octogintae octo antiquorum philosophorum de summo hominis bono. 216.
Oratoris opus, & labor. 248.
Oratoris Officium. 253.
Orator debet esse instructus chartis Socraticis. 256.
Oratio unius labii esse debet. 183. Illecebris verborumque lenociniis permiscenda, ut vulgus alliciatur. 251.
Origo, & progressus humanae sapientiae. 57.
Origo Codicis, Digestorum, & Pandectarum. 233.
Origo Juris civilis, & Jurisconsultorum secta a Jurisprudentiae candidatis addiscenda. 242.
Origo Juris Canonici, Judicialis Theologia. 389.
Ovidius cur a Caesare relegatus? 124.

P.

Pacuvius. 91.
Pandectarum Fatum. 235. Florentiam translata. 236.
Papa omnes Episcoporum gradus complectitur. 377. Legitimus Petri successor. 378.
Papinianus. 128.
Papinius Statius. 106.
Parisiensis facultas adversus veteres physicos. 13.
Pastoribus Ecclesiae jus est coercendi ingeniorum licentiam. 341.
Passavantii horrendum exemplum. 14.
Passiones è recta via ducunt homines ad sinuosam. 225.
Patavinitas objecta Livio. 67.
Patricii, qui olim appellati? 84.
Patriarchae, & Duces Hebraeorum de rebus naturalibus instructi. 57.
Paulus Segnerus praecipuus inter Oratores in affectibus ciendis. 261.

Pau-

Digitized by Google

Paulus Patavinus. 129.
Petrus Lombardus, cur ſententiarum Magiſter appellatus. 382.
Phaedrus legendus a tyronibus. 167.
Phoenices literarum inventores. 55.
Phoenomena quamplurima per philoſophiam recentiorum explorata. 337.
Philoſophiae praeſtantia, & utilitas. 19. Ejus hiſtoria ſcitu neceſſaria ne in errores dilabamur. 25. Ejus gravitas. 190. Philoſophia Graecorum adtributa prudentiae Romanorum. 222. Olim magus putabatur, qui ei operam dabat. 324. Ut ſerva adhibenda in rebus Fidei. 368. Ejus quamplurima principia aut falſa, aut non undequaque vera in rebus Fidei. 371. Ea melior, quae doctrinae Chriſti conformior. 374.
Plato Athenienſis. 320. Homeri ſtudioſiſſimus. 60. Prae tot philoſophantibus recte philoſophatus de ſummo bono. 216. Ejus facundia apum praeſagio indicata. 157. Ejus opera Barbarorum eluvione peſſumdata, poſt quinque ſecula ſummo pretio habita. 263. Cur fabulis uſus eſt? 265. Ejus doctrina cum Moſaica conſentiens. 321. Ad octavum uſque ſeculum ab antiquioribus Eccleſiae Patribus, utpote conformior doctrinae Chriſti exculta. *Ibidem*, & 331.
Plautus. 94. Ejus Ephitaphium. *Ibid.*
Planciades Fulgentius. 137.
Plinius ſenior, & junior. 103.
Peripatetici, & Stoici Logicam auxerunt novis obſervationibus. 45.
Perſius Poeta ſatyricus. 105.
Petrus Bembus. 151.
Petrus Gaſſendus. 342. Epicuri illuſtrator, atque emendator. 328. Ejus epitaphium. 343.
Poeſis non arte, ſed natura comparatur. 21. Ejus finis, & quid ut aſſequatur agendum? 264. Adjecta eſt ei delectatio ut inſtrumentum ad alliciendum. 264. Ceſſat tempore luctus. 300. Ejus definitio apud Veteres. 277.
Poetica apud antiquiſſimos Hebraeorum propagandae Religionis ergo. 272 Ejus utilitas. 273.
Poetae ſaepe aliquibus viſi ſunt figuras affectare, eum de illis nuſquam cogitaverint. 23. Verborum

Digitized by Google

rum phalaris rudes homines ad humaniorem vitam retraxerunt. 265. Eorum ſapientia Urbes communitae, jura deſcripta, & reſpublicae fundatae. 266. Quo artificio vitia fugarunt? 270. Poetae cum vulgo tota res eſt. 267. Nunquam a Philoſophia diſcedere debet. *Ibid.* Poetarum genera varia. 273. Objiciunt nobis prae oculis rectam vivendi regulam. 279. Poetae pet vetuſti optimi Phyſici. 280. Phyſici, & Mathematici. 282. Qui jure Poetae appellari debent? 285. Poetam maxime decet honeſtas. 286. Quae Poetae neceſſaria? 291. Non captanda initio argumenta difficilia, ſed puſilla, & contractiora. 294. Verborum, rerumque ſupellex poetae neceſſaria. 301. Non perfunctorie legendi. 303. Sex Italos Poetas, a tribus Gallis, hosque ab uno Scotigena ſuperatos. 310.

Poenae adverſus calumniatores. 78. Quae poenae in adulteros Jure Canonico? 124.

Poena peculatus, quae? 112.

S. Polycarpus Martyr. 107.

Pomponius Mela. 102.

Pontifices Romani, qui in utraque Juriſprudentia praecellerunt. 403.

Pontifex conſulendus in cauſſis maximi momenti. 405.

M. Porcius Cato. 94.

Principes juſtae libertatis vindices. 4. Cur a Deo dati? 227.

A. Prudentius. 136.

Prurigo aliquorum obtrectandi, unde? 36.

Pythagoras Samius. 315. Plurima Moſayca ad ſuam philoſophiam tranſtulit. *Ibid.* redit Samum, indeque in Italiam, philoſophiam docuit Crotonae, legeſque Italis dedit. 316. ejus dogmata qui fuerint amplexati? 317.

Q.

Quaeſtiunculae, & inanes voculae penitus eradicandae. 12.

Quaeſtores Fidei. Vide Galilaeus.

Ra-

Digitized by Google

INDEX.

R.

RAtionis abusus, plurimorum malorum causſa. 193.
Recentiores quam plurimi plus aequo Philoſophorum placita amantes, in errores relapſi. 373.
Regnum Dei in ſimplicitate Fidei eſt. 17.
Regularum abuſus notatur. 198.
Rei vanae, vana eſt gloria. 18.
Religionis negotium, quanti referat? 40.
Renatus Deſcartes. 343. Ejus epitaphium. 347.
Reſidua quid? & quis de reſiduis teneatur? 103.
Robertus Neapolis Rex literarum, ac Literatorum amator. 145.
Rogerius Rex diademate inſignitus Panormi Siciliae Metropolis. 236. Allifanae Urbis ac Pedemontii amoenitatis admirator. 238.
Romani quomodo etruſca diſciplina filios ſuos inſtruerent? 58. Uſque ad Pyrrhi tempora nonniſi rei ruſticae, & bellicae operam dedere. 61. Eorum magiſtratus cogebat cives latine loqui. 62. Eorum ſeveritas in ſolemnibus formulis ſervandis. 63. Demto Fideicommiſſo, ceteros actus legitimos latine exprimebant. *Ibid.* Ne dum Urbis, ſed totius pene Orbis Latinam Linguam Reginam effecerunt. *Ibid.* Quomodo ſervum manumittebant? 70. Per verbum *videri* ſuam exprimebant ſententiam. 194. Eorum Juriſprudentia ipſiſſima ac Graecorum Sapientia. 223. Eorum ſtudium. 229.
Roma legum domicilium. 230.

S.

SAcros Canones ignorare, nefas. 27.
Sacrae Scripturae lectio non omnibus indiſcriminatim concedenda. 354. Ejus inſcitia utpote plurimorum errorum cauſſa, aeterno judicio punienda. 355. Ejus ſeries quo ad utrumque teſtamentum conſtanti traditione in Eccleſia adſervata. 362. Ejus verba uſque ad minimos apices a Spiritu Sancto dictata. 363. Ejus ſenſus quotuplex? 365. Quadruplex ejus ſenſus in una voce explicatur. 366. Ejus Studium non

Digitized by Google

non inflatos, sed dociles, & pios animos exposcat. 367.
Salmeronis judicium de Scholasticae Theologiae Studio. 384.
Sallustius, Livius, Ovidius, Tibullus, Propertius, Catullus, & Virgilius in virili aetate linguae latinae floruerunt. 98.
Sanazarius studiosissimus in absolvendis poematibus. 307. Poetas omnes sui aevi superavit. 309.
Sapientia olim quae? 122.
Sapientiae humanae scopus, quis? 212.
Sapientiae opes ab injustis possessoribus vindicandae. 322.
Sapientes, qui putabantur apud Graecos? 213.
Sapientes sola veritatis vi ducuntur. 252.
Satyra, quid? 276.
Satyrici institutum. 80.
Scaligerus in Satyris consulendus. 81.
Scaligeri censura in Lucanum. 283.
Scientiarum voluptas, quid praestet? 29.
Scitulorum carpendi prurigo, ac nasutiorum mussitatio in Auctoris Opus. 3.
Scribendum sicut & loquimur. 174.
Scriptorum mentes ut adsequamur, quid observandum? 79.
Secta nulla est, quae sua dogmata licet falsa, descripta non habeat in Codices a suis legenda, 353.
Senecae consilium. 18.
Severinus Boethius. 138.
Sidonius Apollinaris. 136.
Silius Italicus. 104.
Simon Barra laudatur. 7.
Simoniaci, quibus poenis urgeantur? 116.
Simonia Religioni adversa. 117.
Socrates Athaenienſis. 317. Quo argumentationis telo utebatur? 205. Ejus inductio. 206. Ejus inductionis regulae. *Ibid.* Ejus mos in colloquendo. 208. Primus inter Philosophos, qui aperto fronte locutus est. 278. Ejus Studium, 348.
Solis mobilitas probatur Sacrae Scripturae testimoniis. 339.
Sophistae quomodo refellendi? 204.

So-

Digitized by Google

INDEX.

Sophiſtas variis modis premere oportet. 207.
Speculari in ſterilibus, ſine piaculo non poſſumus. 208.
Statius quam ſtudioſus in abſolvendis poematibus? 307.
Sulpitia Romana laudatur a Martiali. 104.
Superflua didiciſſe, quandoque nocuit. 38.

T.

TAbula ſexaginta quatuor modorum. 200.
P. Terentius. 94. regula puritatis latini ſermonis. 95. Legendus a tyronibus. 167.
Tertullianus, acris ingenii vir. 128.
Terrae immobilitas probatur Sacrae Scripturae teſtimoniis. 339.
Thales Mileſius. 313. quomodo Deum definiret? 314. Ipſius Sectatores. *Ibid.*
Theologia Polemica, ſeu Dogmatica, ejuſque definitio. 379. Aſcetica. *Ibid.* Liturgica. *Ibid.* Judicialis. *Ibid.* Moralis. 380. Naturalis. *Ibid.* Scholaſtica. 381.
Theologiae quare jugata philoſophia? 382.
S. Thomas Aquinas. 333. prae ceteris eligendus pro Scholaſtica Theologia, & quare? 385.
Thomas Linacer. 151.
Thomas Morus. *Ibid.*
Thomas Ciccarellius laudatur. 245.
Tiberius Caeſar in latino ſermone ſtudioſiſſimus, 62. Ejus Religio in latine loquendo. 185.
Tignum quid apud Juriſconſultos, quidve apud Latinos? 83.
Tragoedia quid? 276.
Traditiones Apoſtolicae veluti depoſitum cuſtodiuntur in Eccleſia. 16. In unum collectae a S. Clemente Papa, & Martyre. 389.
Traditio Divina. 374. Quid veniat nomine traditionis? 375.
Tranſmarina objecta Propertio. 67.
Tribonianus ſui ſeculi ſordibus Juriſconſultorum orationem infuſcavit. 141.
M. Tullius Cicero. 96.
Turdus cacat ſibi malum. 37.
Turris Babilonica. 52.

Ty-

Digitized by Google

INDEX.

Tyronum incommoda. 15.
Tyrannorum imago a Veteribus expressa, 269.

V.

VAcuum, & inane cur non admissum a Cartesio? 345.
Valerius Flaccus, 135.
Vallata Pedemontii Regio in ridenti planitie. 1.
Varro Romanorum doctissimus. 95.
Vellejus Paterculus genere Campanus. 102.
Verbum nullum est, quod idem, ac aliud, aut eodem modo significat, aut ejusdem sit aetatis. 175.
Verbum Dei triplex. 357.
Verbis Graecis utimur pro egestate Latinorum. 178.
Verba Graeca, an liceat Latinis intermiscere. 179.
Verba sunt symbola idearum, ideae symbola rerum. 258.
Veritas ingrata advocatis Diaboli. 245.
Veterum ingenia nobis facem praetulerunt ad scientias capessendas. 59.
Veteris Testamenti Idea, 361.
Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae, omnia Jura clamant. 220.
Vindicius, primus dicitur manumissus. 71.
Viri eximii qui Pedemontii Civitatem illustrarunt. 5.
Virgilius. 99. Ejus venustas in dicendo. *ibid.* In elaborandis Bucolicorum libris annos septem, Aeneidos decem consumpsit. 101. Pudicus in suis poematis. 287. Quam cautus in afferendis Didonis, & Juturnae adulteriis. 288.
Ultra progredi in orbe literario videtur nefas, 11.
Ulpianus Syrus. 129.
Voces quamplurimae nullius significationis in alias disciplinas a Logicis derivatae. 85.
Voces tropicae quandoque necessariae, ut res vividius exprimatur. 177.
Voculae quaedam, & distinctiunculae, cur a plerisque adhibitae? 166.

Vo-

Digitized by Google

INDEX:

Vocabula inania a Dialectica eliminanda. 197.
Item, & quaestiunculae insipidae. *Ibid.*
Vox *irretortus*, quid proprie significet? 169.
Urbanus V. tertiam addidit coronam in infula Pontificia. 407.
Usus quarumdam vocum vitio verti nequit scribentibus. 8.
Vulgus quae concipit quibusdam imaginibus, Philosophus solo intellectu duce comprehendit. 268.

Z.

ZElo inerudito, aut mentis humanae ratiocinis numquam fidendum est. 370.
Zelus sine prudentia plurimum obnoxius. 413.
Zelus ineruditus, quot mala peperit in Christiana Republica? 414.
Zeno Eleates, Logicae adinventor. 45.
Zeno Citticus. 327.
Zoroastres Chaldaeus, Veritatis interpres. 54.
Zoroastri Magia quid? *Ibid.*

FINIS.

ANT 1317269

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google